28

SELECTORVM

THEOLOGICORVM BREVIARIVM,

id est,

DISCVSSIO PRINCIPALIVM PVNCTORVM THEOLOGICORVM,

NOSTRO TEMPORE MAXIME CONTROVERSORVM,

De Doctrina Sacra, Religione, Revelatione, Inspiratione, Veritatibus Theologicis, Criteriis illarum & fundamento Fidei, Hæresi, Argumentis pro Authoritate Scripturæ, sensu literali & mystico, Terminis in Mysteriis usurpandis, Notitiis Dei naturalibus, Notitia experimentali & via Salutis Poiretiana, inter quæ Collatio *Huetii*, *Dupinii*, *Arnoldi*, *Lockii* & *Poireti* cum Scriptura instituitur.

EXERCITIIS DISPVTATORIIS SVBMISSA ET EDITA

a

MICHAELE FOERTSHIO

SS. TH. D. ET PP. IENENS.

IENÆ, APVD TOB. OEHRLINGIVM

A. M DCCVIII.

28

SELECTORVM

THEOLOGICORVM BREVIARIVM,

id est,

DISCVSSIO PRINCIPALIVM PVNCTORVM THEOLOGICORVM,

NOSTRO TEMPORE MAXIME CONTROVERSORVM,

De Doctrina Sacra, Religione, Revelatione, Inspiratione, Veritatibus Theologicis, Criteriis illarum & fundamento Fidei, Hæresi, Argumentis pro Authoritate Scripturæ, sensu literali & mystico, Terminis in Mysteriis usurpandis, Notitiis Dei naturalibus, Notitia experimentali & via Salutis Poiretiana, inter quæ Collatio *Huetii*, *Dupinii*, *Arnoldi*, *Lockii* & *Poireti* cum Scriptura instituitur.

EXERCITIIS DISPVTATORIIS SVBMISSA ET EDITA

a

MICHAELE FOERTSHIO
SS. TH. D. ET PP. IENENS.

IENÆ, APVD TOB. OEHRLINGIVM
A. MDCCVIII.

DISCURSUS
THEOLOGICUS
DE
RELIGIONE,
VERITATIBUS
THEOLOGICIS
CONTRA
ATHEOS,
IN GRATIAM
ILLUSTRIS
MICHAELIS
FOERTSCHII
EDITUS
A
M. DCCXIII.

PRAEFATIO
ad
Benevolum Lectorem.

Oepimus haud ita pridem Argumenta gravioris momenti, & ad præsentia tempora accommodata, è Theologia ad exercitia publica disputatoria seligere: eorum primæ parti altera nunc adjuncta est, exhibens hypotheſium cum Scriptura Sacra collationem, quæ ſummam ſubinde Rei Christianæ concernunt. Eò enim prob dolor! perventum est, ut in medio Christianismo ad imas usque radices luxentur non modo veritates ſalutares, ſed quantum fieri potest, omnino ſubruantur, ea ingenii acie eaque ſimul deſtinatæ pietatis ſpecie, ut ſubdubites, in quo magis ſe prodat

mysterium iniquitatis. Nam ab una parte tanta vi tantoque impetu ruunt summa ingenia in corruptæ rationis vias, ut eos obbrutuisse, durius pronuncient, quotquot fidem adhibent illi, quod rationis Magisterio non edocti sunt : haud multum solliciti de genuina Spiritus Sancti mente in Scripturis, si modo commodè ad suas rationes reducere queant, quod in Verbo Dei scriptum est : ita Socinianorum *consilia adoptant exasciant, novis hypothesibus ornant, methodo demonstrativa instruunt, cum nomen tamen eorum refugiant. Ab altera parte, rationis quasi pertæsi, lumen immediatum tanta animi fiducia jactitant, ut omnem notitiam & scientiam superficiariam, umbratilem imaginariam statuant, quæcunque non ex illo lumine immediate se insinuante & illuminante, profluxit. Mirum vero videri queat, tam diversæ naturæ ramos in unam quasi coalescere arborem. Sane enim quæ perfusionem cœlestium radiorum interpretantur, rationis post lapsum, unicè molimenta sunt re ipsa. Neque vero potest aliter fieri, quin in unum aut alterum, vel etiam monstrosam illam conjunctionem incidat, illaque ceu ultimo suo fundamento adquiescat, qui semel Majestatem SSacræ deseruit, meramque literam mortuam interpretatur, quacum tamen divina potentia unita est & operatur. Hinc &*

Papa-

Papatus, ut aiunt Articuli Smalkaldici, *est merus Enthusiasmus, quo Papa gloriatur, omnia iura esse, in scrinio suo pectoris. Cæterum magnum robur assumit præcepta hypothesis, si pacem & conciliationem dissidentium in orbe partium prætexat, si nihil nisi Amorem Dei & proximi, id est pietatem spiret. Hæc enim, ubi Animo altius insederint, illudque Rationis Magisterium vel Directorium luminis immediati accesserit; actum est de Scriptura eiusque veritate. Nulla* Doctrina sacra *erit, sed philosophia quædam nexuum Syrmate prætextata & luminis substantialis subinde schemate induta, non* RELIGIO *sed cerebrosa pietas, non* REVELATIO *supernaturalis, sed mere naturalis & generalis in luminæ Naturæ, non* VERITATES THEOLOGICÆ, *sed lumina fanatica vel spectra rationis; nullum* FVNDAMENTVM FIDEI *nisi Amor Dei vel pietas imaginaria nec* HÆRESIS, *nisi quatenus pietati illi obest. Nulla* SCRIPTVRÆ AVTORITAS, *sed Adminiculi pietatis probabilitas, nullus sensus literalis sed nasus cereus nulla mysteria, sed mysteriorum umbræ: nulla* NOTITIA NATVRALIS *nisi immediata experimentali fundata, non via salutis in SS. ostensa, sed antiquis hæreticis trita, sapientiæ divina adversa, fallax, anceps, hypocritica, scripturæ contraria, intuta periculosa.*

Hac puncta illa Theologica sunt, quæ tractanda sucepimus, ita quidem ut potissimam partem sollicitius & cum cura meditaremur, contulimus Viros magni ingenii non alio instituto, quam ut videremus, num Scripturæ congrua sint & analogiæ Fidei, quæ magno nisu & adparatu prodiderunt. Animadvertere enim facile licet sincero cuivis, istas hypotheses antea allatas, passim per Germaniam veluti, sidere quodam sparsas esse, vel per partes, vel in toto contextu. Si quid inter nostra est, quod tibi, B. L. prodesse queat, ad uberiores pias cogitationes, Dei est, non meum, quem mecum laudabis in æternum. Vale in Domino. Perscripsi Ienæ, d. XX April M DCC VIII.

MICHAEL FÖRTSCH D.

SECUNDÆ PARTIS
INDEX MATERIARUM.

I.

DE Vi Argumentorum pro divinitate SSacræ, ubi hypotheſes Huetii in Dem. Evang. non modò conſiderantur, ſed totum Viri conſilium cum annotationibus noſtris ex *Alnetanis* quæſtionibus exhibetur. pag. 1. §. 1. ad §. XIII. incluſivè.

II. De Patrum Sententia in hoc *Arg.* pag. 25. § XIV. ſeqq. ubi vindicatur, & ſincerè explicatur contra ſcepticorum hypotheſes *pag.* 25. §. 14. ſeqq.

III. De ſenſu Myſtico SSacræ §. XX. pag. 35. ubi, quid ſit, ejus origines, num Deus ſe celare velit: Exempla perverſæ Interpretationis myſticæ, Theologia myſtica ſana, vitioſa usque ad §. XXV. incluſivè.

IV. De Terminis in myſterio Trinitatis, aliisque, adhibendis pag. 41. §. XXVI. ſeqq. ubi Arnoldi ultimæ declarationes conſiderantur, B. Hunnius vindicatur & ex aliis Theologis illuſtratur, Theologorum noſtrorum conſilium circa proſelytos declaratur, & altiora rei Fundamenta inquirunrur. Diſcrimen Socinianorum & orthodoxorum in hoc Arg. Controverſiæ ſtatus inter Arnoldum & Noſtrates: momentum & deciſio. Typus primorum Seculorum, usque ad §. XLII. incluſ.

V. De Notitia Dei Naturali, ubi collatio cum Lockio juxta SScram iſtituitur p. 66. Eius hypotheſes huc pertinentes §. XCVI. pag. 69. Principia genuina cognitionis naturalis pag. 73. Adplicatio adverſus Loockium. Collatio Parker. Uſus conſiderationis hujus. Diſcrimen Noſtratium Theologorum & comparatio ſententiæ Lockianæ. usque ad §. LXVIII. p. 101.

VI. De Notitia Dei experimentali juxta Poiretum: p. 101. §. ubi

(A) Modus Procedendi Poireti, in hoc arg. ejusque argumentandi ratio ab objecti perceptione, & à vivida ac ſenſibili ejusdem perceptione: qualis debeat eſſe experientia p. 101. §. LXIX. ſeqq.

(B) Num

(B) Num detur perceptio Dei immediata experimentalis? p. 112. § LXXVI. quod negatur & probatur de notitia experimentali per Gratiam. p. 113. §. LXXVII. Poireti argg. confutantur §. LXXIX. p. 116. Eliduntur Argg. è ratione petita. §. LXXXII. p. 121.

(C) De Unione Dei gratiosa, quæ non per conceptum Dei naturalem fiat, sed per gratiam in Christo. pag. 129. §. LXXXIX.

(D) De Notitia Dei experimentali, via Naturæ pag. 132. §. XCI.

(E) Ingressus ad sollicitiorem rei Considerationem, ubi contextus hypothesium Authoris & Amicorum ejus §. XCII. p. 134. in quem finem.

(1.) De Sinceritate Poireti §. XCIII.

(2.) Scopus Principalis Authoris in scriptis ejus, Fontes Poiretiani s. scripta, unde hypotheses ejus in contextu suo hic exhibendæ §. XCIV. p. 136. Tr. de vera methodo &c. de Eruditione, Cogitat. Rationales, præcipuè Oeconomia div. & quæ edidit, ac præfatus est ac tanquam sua adoptavit, de Fide & Ratione.

(3.) Hypothesium Poiretianarum Catena ex memoratis scriptis. §. XCIV. seqq. & earum illustratio. ad §. CXV. inclus.

(4.) Summa Doctrinæ Poiretianæ huc pertinentis.

(5.) Vis interna & indoles Poiretianæ doctrinæ. Spiritus Calumniarum.

(6.) Fundamenta duo totius Poiretianæ Compagis considerantur: Physicum: §. CXVIII. quod confutatur & exceptionibus obviam itur §. CXIX. p. 168.

(7.) Fundamentum Morale: ubi de Via salutis Poireti & Amicorum ejus. §. CXXIV.

(8.) Quæ via ostenditur (α) ut antiqua fanaticorum (β) Prudentiæ divinæ adversa (γ) fallax & hypocritica (δ) scripturæ contraria (ε) intuta & periculosa. CXXIV. seqq.

VII. Admonitio ad Studiosos. Sub finem

Typographica errata

Lector Benevolus ipse legendo facile corriget.

PARS ALTERA SELECT. THEOL.

EXERCITAT. IX.
Respond. M. Georg. Weinman. Cervimontano-Silef.

§. I.

DArum decorum foret Professioni Christianæ, nec regenitorum statui congruum, vano quodam assensu ferri in præeminentiam & divinitatem Codicis Sacri, quo Religio Christiana nititur. Nec desunt occasiones, queîs vel diaboli tentationes retundendæ, vel Atheorum impietas coercenda, vel Epicureorum protervia repellenda; unde haud inutiliter argumenta illa & motiva, quibus persuaderi quis potest, & adduci ad credendam Scripturæ S. divinam originem, pridem a pluribus sunt collecta, diverso licet ordine & instituto. Διχοδομίαν aliqui sectantes, duplex argumentorum genus constituerunt: quorum alia *Fidem humanam*, alia *divinam* faciant. Alii triplicem classem constituunt, primâ *Criteriorum complexum* ponentes, altera *Testimonium internum Spiritus S. in corde pii vigens*, tertiâ *Testimonium externum* hominum; Sed &

de Vi Argumentorum pro divinitate S. Scripturæ. ubi (1) utilitas argumentorum

(2) diversus tractandi modus.

illi priores in duo denuo diſpeſcunt genera, quæ humanam fidem faciunt, *interna & externa*, ſ. ut alii loquuntur, inſita & aſſumta. Quanquam & *inſita* illa diverſæ obnoxia ſint conſiderationi, fidemque divinam generare dicantur nec ſine ratione, utpote quæ quoad rem ſunt *ipſa Scriptura tanquam principium indemonſtrabile & revelatio ipſa, in quam ultimò omnis veritatis divinæ λύσις terminatur.* Talia ſunt Lux S. Sacræ in myſteriis, Harmonia, Sanctitate, Complementis vaticiniorum &c. vid. Theologi noſtri in L. de *Scriptura Sacra.*

ubi Contradictio noſtratium

Neque tamen hi ab illis, qui *interna* ad Fidem humanam referunt, reapſe differunt, alio enim reſpectu accipiunt. Nimirum illa ipſa criteria inſita reſpiciuntur, vel ut ultima eorum vis conſtituitur in convenientia cum recta ratione, quomodo jam *materialiter* quidem revelata & revelatio ipſa ſunt, non tamen ſub illo *formali*, nec enim ita ſub Revel. reſpectu attenduntur: vel prout revelata ſunt & conjunctam habent vim ac virtutem divinam, quomodo ſit demum Fides divina, ratione efficientis, proximæ, divinæ. Conf. *Hülſem.* Vindic. p. 218. & *Muſæus* de S. S. *Danhauerus* in Hodoſoph. I.

Collatio ſententiarum Virorum eruditorum de demonſtrationum indole in hac materia.

§. II. Opinionem ſaltim generare poſſe iſthoc probationum genus, dubitari nequit. Neque non una ratio præ alia probabilior eſt ac evidentior, adeoque & opinio magis minusve firma inde redundat. Quò major eſt rationum probabilitas, eò propius accedit argumentis demonſtrativis, & quò firmior inde redundat opinio, eo propior illa eſt ſcientia. Illud quoque in liquido poſitum eſt, ejusdem rei eſſe poſſe, & opinionem & ſcientiam, illam, prout probabilibus,

bilibus, hanc, ut demonſtrativis illuſtratur argumentis. Et ſi demonſtrationis vox in amplitudine ſumitur, prout eam includit, quæ ἔστι vocatur, quæ imperfectum demonſtrationis genus dicitur, facile quivis haud dubie conceſſerit, demonſtrationis nomen mereri. B. *Conringius* adcuratus, ut omnis propemodum literaturæ, ita & demonſtrationum Judex in Epiſtola ad Frölingium, ubi de veri generis demonſtrationibus agit; *Scripturæ Sacræ autoritatem firmis demonſtrationibus perſuaderi poſſe*, notat, *haud æquè tamen tutò ac frequenter ut in Mathematicis, licere demonſtrationes inſtituere.* Hinc & B. *Dorſchæus* noſter ſcribit parte II. Theol. Zach. p. 37. *Motiva illa non tantum pariunt certitudinem aliquam conjecturalem, ſed moralem altioris ordinis.* De hac certitudine morali *Stillingfleet* in originibus ſacris p. 212. ubi de vi & efficacia moralis demonſtrationis diſſerit, moralem, ait, certirudinem ſufficiens fundamentum eſſe indubitato aſſenſui; non cui non poſſit ſubeſſe falſum, ſed cui non ſubſit dubium. Indolem moralis demonſtrationis, ut & aliarum diligenter & ſollicitè perquiſivit noſter B. *Weigelius Ariſt. Anclyt. Euclid.* qui *quam proximè morales demonſtrationes ait accedere ad propoſitiones demonſtrativas, quas in metaphyſicis & logicis (ſcientias autem ſe hic intelligere ait, non vocabulorum & diſtinctionum lexica) itemque in Arithmeticis & Geometria diſciplinis ſane divinis occurrunt.* His autem talem veritatem certitudinem & neceſſitatem tribuit, quæ nullo modo mutari queat, ſicut Deus eſt immutabilis: reſtringit tamen, vel potius explicat *autor* mentem ſuam, quod non illas pro-

positiones undecim virtutum Nomenclatoris intelligat, sed bonitatis & malitiæ moralis, justi & injusti realis, id est in legibus naturæ fundatæ. Accedere ait Author moralem demonstrationem quam proxime ad illas geometricas. At plus tribuit *Huetius de demonstrat. Evang. Suam enim illam e complemento vaticiniorum deductam demonstrationem non minus certam esse ait, quam demonstrationem quamvis Geometricam.* Non id omne ad observationem prolixiorem pertrahemus, quod nihilominus invehatur in geometricas, omnemque cognitionem per sensus & rationem obscuram esse & fallacem & veri notitiam male fidam & intutam asserat: inde pro clarioribus ac certioribus esse habenda, quæ omnium majori consensu admittuntur, vid. præfatio; Quæ vero hypothesis syrma periculosarum consequentiarum post se trahit. Possemus istam demonstrationum depressionem in comparatione ad *ostensionem Spiritus* quodammodo dimittere, sed dum è summo veluti fastigio certitudinis humanæ ad ima delabitur, regulam & normam constituens certitudinis majorem consensum, facile patet, quomodo ad Pyrrhonismum deflectat, & velificetur hypothesibus pontificiis. Hoc tantum addemus, quod adeo principia moralia *certiora* reputet Author, quam *Geometrica*: horum enim veritatem multos negasse, qui vero *fidem principiis moralibus à Epicrisi se propositis, detraxerit, repertum esse neminem.*

ubi (1.)

§. III. Subjungemus sententiam nostram: Pri-

Quomodo criteria interna ad

mò certum est; Criteria seu motiva illa interna sive Scripturæ insita, quia sunt ipsum verbum Dei, mens

& sen-

& ſententia à Deo revelata, eo ipſo generare *Fidem divinam*, id eſt divina autoritate, ſive Dei dicentis proxime nixam. Nam quemadmodum ſenſus divini in verbo hoc ſcripto illam habent indolem, ut illuminent & auctoritatem dicentis Dei inſinuent ſeipſis lumine ſuo ſupernaturali, ut accipiatur verbum Dei ab hominibus prædicatum vel in ſcripto lectum, non ut verbum hominum, ſed ut *verbum Dei, qui agit in credentibus 1. Theſſ. 2, 13.* ita *criteria* ſeu motiva illa *interna*, Majeſtas dicentis, ſanctitas præceptorum, ſublimitas myſteriorum, complementum vaticiniorum &c., quæ & ipſa verbum Dei ſunt, quoad rem, Deum dicentem & revelantem directe & tanquam in *actu ſignato* ex parte manifeſtant, & ita ut illuſtrioribus radiis quibusdam in mentem influat oraculum divinum; idque ut vel per modum ſimplicis apprehenſionis, vel per modum diſcurſus divinitas agnoſcatur, non prout illo ceu rationi congruo & ab ea ordinato ſe inſinuat, quomodo diſcurſus nonniſi pædagogia quædam eſt ad ſupernaturale mentis lumen: ſed prout ſententia diſcurſu è verbo Dei inſtituto elicita verbum Dei ſeu mens & ſententia divina reapſe eſt, illam illuminandi & movendi vim ſupernaturalem continens & exercens in eo, qui non malitioſe reſiſtit. Sic enim mens demum aſſentiens: verbum Dei eſſe verbum Dei, nititur proprie ipſa authoritate Dei dicentis: hoc à ſe revelatum eſſe: ut *fides ſit divina* proprie loquendo: ſic enim proxima & formalis ratio veluti cognoſcendi divinam originem ſcripturæ eſt ipſa divina

fidem divinam faciant.

Revelatio ſeu authoritas Dei in illa loquentis. Et hæc demum Fides eſt *in oſtenſione Spiritus ac potentiæ, 1. Cor. 2,4.* ubi *Spiritus in corde teſtatur autem teſtimonium: divinum magis quam hominum, 1. Joh. V, 9. ſeqq.* ita docemur à Deo ſumusque θεοδίδακτοι, ſic à patre trahimur tractu ſuavi & admirando *Joh. VI, 44.* Hæc fides de jure immota, & infallibilis eſt, habens infallibile ſui principium.

(2) Quomodo alio reſpectu non generent fidem divinam.

§. IV. *Secundò.* Quantacunque vis & efficacia tribuatur dictis motivis, & argumentis, non tamen eò usque valere poſſunt, ut fidem divinam faciant ſub ratione convenientiæ cum recta ratione: Sic enim non niteretur Revelatione ipſa ultimò & autoritate dicentis Dei, ſed congruentia rationis. Nec obſtat, quod argumenta iſta è Scriptura Sacra deſumuntur. Si enim ita argumenteris: Quæ Scriptura continet ſermones ſoli Majeſtati divinæ competentes, illa eſt à Deo & divinitus inſpirata. Atqui Scriptura, quam ſacram vocamus & divinam, continet tales ſermones. E. Minor probatur inter alia ex *Exod. XX,* 1. ubi Moſes ſcribit: Deus locutus eſt omnia hæc verba, & ſubjungit: *Ego ſum Dominus tuus &c.* In hoc *argumento* quidem minor eſt petita è Scriptura ſacra, ſed ſi rem rectè perpendas, non ex illa qua tali, ſeu, qua Revelatio divina eſt; eſſet enim ineptum planè argumentum: quod ita facile patet: Quæ Scriptura continet ſermones ſolam majeſtatem divinam decentes, illa eſt divina. Atqui Scriptura ſacra ſeu divina, vel Revelatio divina continet tales ſermones. Ergo Scriptura ſacra ſeu divina eſt divina ſeu Revelatio divina. Nimirum

etſi

etsi è Scriptura S. desumta sit minor propositio; non tamen illa aliter hic considerator, quam quivis alius liber, extra hunc medium terminum, per quem peculiaris, singularis & divinus cognoscitur demum. Nec quæstio est: *An Scriptura sacra seu divina sit divina*, sed num hoc systema Scripturæ, tot libris hoc vel illo modo denominatis sit pro divino habendum, seu originem ex Deo habeat? Affirmativa probatur per hoc medium, quod v. g. Deus ipse in eo loquatur & majestas divina in stylo ibi conveniat ipsi. Unde hæc argumentandi ratio nequaquam confundenda est cum illis argumentis Theologicis, ubi una propositio è Scriptura, quà tali, altera è ratione, humana petita est. Semper enim hic probationis nervus in Scripturam tanquam principium Revelatum conclusionum Theologicarum; ibi verò, in præsenti nimirum materia, una est rationis, altera redit ad ocularem inspectionem & observationem rationalem. Aliter se res habet, ubi illuminatus verboque Dei ut verbo Dei assentiens Fide divina ad exercendum fidem suam criteria divinitatis illuminato oculo considerat: ibi enim jam certus de divinitate & meditans verbum Dei ex interno Spiritus S. Testimonio firmatus, per criteria illa magis consolidatur: non per modum discursus rationalis, sed simplicis adprehensionis potius seu fidei, id est sine interventu assensus principii cujusdam prioris: quasi apud animum suum ita loquatur: En quod *actu exercito* alibi Deus se revelare testatur, id nunc *ipso signato* notavit & innuit illis verbis: *Dicit Dominus &c.* Aut si per modum discursus divinitati

Scri-

Scripturæ assentiatur, interveniente hac propositione ut principio, Deus ipse in his libris loquitur & se loqui ait; etiam assensus talis ultimato in revelationem recurret, eritque fides discursiva hoc modo: In quibus libris *actu signato* Deus verè loquitur, & se loqui testatur, illi libri etiam in tantùm sunt à Deo & divini. Atqui in Scripturis *act. sign.* Deus verè loquitur. E. Huic conclusioni assensum dat illo medio: quod Deus vere loquatur in S. Scriptura, & se loqui testetur; quod respicit tanquam propositionem revelatam.

Non esse criteria illa sub ratione convenientiæ cum recta ratione perfecte demonstrativa.

§. V. Sed nec tantam Argumentis illis seu motivis vim ac efficaciam quis rectè tribuerit, ut animus humanus inde ita convincatur, quemadmodum per demonstrationes perfectissimas & liquidissimas, ut intellectus reluctari nequeat, sed ad assensum terminetur: quales sunt, quæ nituntur principiis seu propositionibus demonstrativis, quæ immutabilem veritatem, certitudinem & necessitatem habent; Si enim sub respectu convenientiæ cum ratione criteria illa tantum demonstrandi vim in intellectu haberentur, tum quis immotum certum & firmum assensum præbere posset propositioni: Scriptura sacra est verbum Dei adeoque verum & infallibile, sine Spiritus Sancti illuminatione è viribus naturalibus, quod vero analogia fidei oppido adversatur, juxta quam nostra infirmitas in spiritualibus ita prædicatur, juxta Scripturam ut homines dicuntur *tenebræ habentes mentem obtenebratam*, *Ephes. IV, 18, V, 8.* non certè & propterea tantùm, quod natura non norit articulos fidei, &

eorum

eorum mysteriorum ibi contentorum rationem internam dignoscere haud queat, ut patet ex opposito, illuminatione nimirum, utpote, per quam non fit, ut fidelis mysteriorum naturam introspicere ac judicare valeat: neque illi in Scriptura sacra propriè dicuntur illuminati, qui mysteria in Scriptura S. quodammodo norunt; sed inprimis ob id, quod homo rationalis ita cognoscere mysteria nequeat, ut firmiter assentiri possit, quod Paulus luculentius explicat *I. Cor. II. v. 14.* ψυχικὸς homo non accipit ea, quæ sunt Spiritus, id est: non cognoscit solidè & ad assensum usque, quo aliquid accipitur mente aut capitur, nec potest ea accipere, quæ spiritualiter seu per Spiritus Sancti gratiam dijudicantur. At si ex certis principiis juxta convenientiam cum recta ratione potest demonstratio evidentissima fieri ad assensum firmum adeoque & mysteriis summis, spiritualibus, tanquam divinitus revelatis & veris præbendum, utique poterit homo ψυχικὸς spiritualia δέχεσθαι accipere, firmiter iis assentiri: at hic error pridem in *Pelagianis* damnatus est. Veteres ita docuerunt adversus illos: Fidei actum sic esse ab intellectu, ut non sit ex viribus naturalibus, sed ex lumine gratiæ per quod intellectus ad credendum elevatur. At sic esset ex viribus naturalibus nec ex gratia & illuminatione. Non vero est, quod quis dicat: licet demonstrationes sint ita comparatæ, ut firmam & stabilem fidem & assensum efficere queant, nihilominus gratiâ opus esse ob præjudicia & malignos affectus, qui impediunt vim & effectum demonstrationis, nec nisi levem, dubium, & ancipitem assensum admittunt. Nam (1.) si

Exceptio eliditur.

demonſtratio evidentiſſima & liquidiſſima ſit, tum animus certè humanus non valet reluctari, ſed cedere & locum dare compellitur ſaltim de Jure, ſuperat nimirum ipſa claritas præjudicia & affectus, eosque compeſcit, tenebrasque veluti diſpellit. (2.) Si demonſtrationis evidentia & firmitudo præjudicia compeſcit, ſola voluntas obſtabit & affectus, ne firmus aſſenſus præbeatur. Atque ſic omnis defectus Fidei firmæ ac ſalutaris redundabit in voluntatem & affectus, & adeo requireretur gratia Spiritus Sancti non ex parte intellectus, ſed tantum voluntatis & affectuum. (3.) Sic gratia Spiritus S. non vires ad aſſenſum largiretur, ſed præjudicia tantum compeſceret, & affectus. Sicut autem non is conclave illuminat, qui impedimenta lucis removet, ita Spiritus Sancti præjudicia tantum removendo & affectuum æſtum, non illuminaret propriè intellectum.

EXERCITATIO X. Reſp. Dn. Phil. Gottofr. Hardero, Auguſtano.

Num geometricam demonſtrationem ſuppeditent criteria.

§. VI. Hinc igitur neque illi hypotheſi adſtipulari poſſumus, quæ inter iſta criteria unum & alterum eò extollit, ut *apodicticum eſſe aſſerat, & demonſtrationem non minus certam ſuppeditare, quam demonſtrationem, quamvis geometricam*, uti *Huetius* de complemento vaticiniorum ſtatuit in *Dem. Ev.* Ubi ſequentia notamus (1.) *Autor* ipſe ex *Ariſtotele* iſtam ſumit demonſtrationis deſcriptionem, quod ſit *Apodixis, quæ ex veris & primis, aut ex talibus, quæ ex veris & primis quibusdam cognita ſunt, conſtat;* alibi vocat immediatas propoſitiones & indemonſtrabiles, non quod demonſtratio neceſſario ſit ſyllogiſmus formalis duabus propoſitionibus conſtans, notante rectè *Neldelio* tr. de uſu

orga-

organi: Sed quod tota denique demonstratio in ejusmodi primis & indemonstrabilibus subsistere debeat. Unde nec male *Hobbesius:* demonstrationem esse syllogismum, vel syllogismorum seriem, inde à nominum definitionibus usque ad conclusionem ultimam. *in Elem. phil.* Huetiana a. demonstratio nequaquam ex principiis ejusmodi indemonstrabilibus constat, aut ad ultimam quandam conclusionem recurrit, in qua mens tuto adquiescere possit. Conclusio Authoris inter alias hæc est: Libri V. T. sunt divinitus inspirati, & illa: Libri N. T. sunt divinitus inspirati. Principia & axiomata, unde conclusiones arcessit, sunt ista; *Omnis liber genuinus est, qui genuinus habitus est ab omnibus proximè & continuata serie sequentibus ætatibus.* Alterum: *Omnis historia est verax, quæ res gestas ita narrat, ut narratum in multis libris coætaneis vel ætati proximis, qua res gestæ sunt:* Tertium; *Omnis prophetiæ* facultas est à Deo. Hæc principia vocat *moralia, quæ tamen non minus certa sint ac geometrica quævis.* Neque tamen horum ipsorum axiomatum evidentiam ultimò ex seipsis & interiori eorum natura æstimari cupit, quin potius ab exteriori quodam principio eorum certitudinem arcessit, majore nempe consensu. Sic enim ait: quæ majori omnium admittuntur consensu, clariora ac certiora esse fatendum est. Nempe ita statuendum erat, quia, licet axiomata illa rationi vera videantur, ratio tamen ipsa fallat, ut assensus fundamentum certius in plurium consensu collocetur, ut præsumtio pro veritate axiomatum tanto major sit. Porro vero autor ait: *qui fidem principiis moralibus à*

me propositis detraheret, adhuc repertus est nemo. Principiorum vero geometricorum veritatem multos ait negare, illa igitur his certiora esse. Nimirum omnem vim argumenti ultimatò reducit in testimonium humanum & Consensum majorem. Sed ita non ex primis indemonstrabilibus argumentatur autor. Consensus qualecunque indicium externum est veritatis, nec semper. Ergo nec demonstratio inde progreditur, nedum geometrica, cujus conclusiones, ut plerique adcuratiores statuunt *Aristotelici*, è causa fluunt interna quantitate. Conf. *Neldel.* l. c. Negat id quidem Autor iisdem fere rationibus adductus, quibus *Gassendus* in Exercitat. paradox. Concedamus ei negativam, quam & ipsi Aristotelici non pauci fovent. Attamen maximè evidentes sunt, adeo, ut præsentem *Huetianam* evidentiâ longè superent. At nec hoc largitur vir doctissimus, ex adducta suprà ratione, quod multis disputationibus illæ sint obnixæ. Atqui verò disputationes variæ aut diversæ circa rem sententiæ nequaquam certa obscuritatis sunt indicia, magna enim vis præjudiciorum est, & affectuum in animos, adeo, ut sæpe circa solè clariora caligent. Etsi autem non omnes demonstrationes Mathematicæ pari radiant luce, plures tamen ita evidentes esse, experientia apud Mathematicas disciplinas docet, ut non possint non assentiri, qui sensu & ratione rectè utuntur. Axiomatum vero allatorum natura haut ita se habet, ut conclusiones tam certas generare apta sint, ut aliter se res habere per ista principia non valeat: quin potius verò duntaxat simi-

similes sunt, fidemque merentur historicam, quæcunque promanant inde conclusiones.

§. VII. Ita nec primum nec secundum axioma: *Genuinus liber est, qui talis est &c.* tam necessaria sunt quam hoc v. g. geometricum: *Si æqualia addas æqualibus, tota erunt æqualia.* Vel illud Arithmeticum: *Bis duo sunt quatuor*; vel hoc *Metaphysicum: Impossibile est idem simul esse & non esse.* Hæc enim oculari nituntur inspectione, sensuali adeo perceptione, ac summa quadam rationis evidentia, illud vero & ipsum quidem experientiâ quodammodo comprobatum est: sæpe enim fit, ut coævi testes non fallant: fieri tamen facile potest, ut aliquando fallantur & ipsi, fallantque alios, vel quod res, de quibus testantur, non satis habeant perspectas, vel quod veritatem profiteri genuinasque rei circumstantias dignoscere non semper liceat, vel denique lucri cujusdam honorisque studio. Quid? quod non raro etiam à coævis scriptoribus ea annotantur, quæ vel levi duntaxat rumore invaluerunt. Nonnulli Scriptores ocularem prætendunt inspectionem, aut ad alia provocant experimenta, quibus tamen fides non habetur, nec immerito. Non tamen suam historiæ certitudinem constare negamus, quanquam summæ evidentiæ ac necessitati æquiparandam esse prorsus inficiamur. Quod continuatam seriem ætatum separatim attinet, eam sæpissime fefellisse multis constat exemplis. *Simoni hæretico* continuata per multa secula traditio, statuam Romæ fuisse positam, asseruit, quam tamen doctissimi viri confutarunt. Ita complura scripta quam diutissimè pro genuinis à præstan-

Considerationem axiomatum Huetianorum.

tissimis Ecclesiæ doctoribus sunt habita, quæ nunc rejiciuntur ceu suppositicia.

§. VIII. Sed quid de postremo illo axiomate sentiendum, quò præcipuus concludendi nervus redit in argumento Huetiano? Hoc nimirum: *Omnis prophetica facultas est a Deo?* Nemo Christianus id negaverit, neque non extra Christianismi limites à multis conceditur, nec sine ratione. Soli enim Deo futura quæque præsentia sunt. *Sic Esaias: Annunciate nobis futura deinceps, & deos vos agnoscemus.* Hinc recte *Tertullianus: Testimonium idoneum divinitatis veritas divinationis.* Sed quod Author ait: *qui fidem principiis moralibus à me propositis detrahat, repertus est nemo*, non est liquidum. *Cicero libro primo* de *divinatione*, postquam descripsisset divinationem *prædictionem ac præsensionem earum rerum, quæ fortuitæ putantur*, proponit illam sententiam sub persona Quirini: Si divinatio est; dii sunt, & si dii sunt, divinatio. Respondet vero: *neutrum tam facile, quam tu arbitraris, conceditur, nam & natura significari futura sine Deo possunt, & ut sint dii. potest fieri, ut nulla ab iis divinatio generi humano sit tributa.* Per integrum deinceps librum primum pro ejusmodi divinationibus disputat: libro tamen secundo in adversam partem digreditur. Itaque rectè quidem *Huetius*: Academicorum more hæc proponere *Ciceronem*, sed cum adeo Veritas tamen positi axiomatis in dubium vocetur, quid id notasse juvat authorem? Manifestè verò *Baronius* judicium *Ciceronianum* l. c. contentum adprobat, addito antiquioris Doctoris suffragio: Mo-

Tom. VII. Hist. Eccl. ad An. C. 190.

nachum

chum enim quendam peſte graviter decumbentem, ad quem Epiſcopus ſolatii explicandi cauſa acceſſerat, prædixiſſe refert: *Se & omnes, qui ab ipſo Epiſcopo baptizati eſſent, celeriter morituros eſſr, id quod etiam factum ſit.* Subjungit *Baronius: Gregorium* in dialogo multa ejusmodi exempla collegiſſe. Addit deinde *Ciceronis* Judicium, *Gregoriique* hoc ſuffragium: *fieri utique poſſe, ut morientes futura prædicant, ſive per Revelationem*, ſive quod è materia emergere jam egreſſuræ animæ inchoantes prælibare quædam poſſint de his, quæ vinculis ſolutæ carnis intelligunt. Et verò, quando prophetia dicitur prædictio futurorum contingentium, ſubinde obſcurum eſt; an non hoc illove cauſæ nexu pateant prædicenti, nec facile prædictiones è conjectura vel certa ſcientia emanantes diſtinxeris; Veritas enim illarum potiſſimum ex eventu pateſcit. Poſſūt enim ea, quæ eveniunt exquiſitiſſimè, tam per meram conjecturam prædicta eſſe, quam ex certa notitia, ut *Cicero* quoque oſtendit l. c. Non tamen negamus, axioma illud ſuam certitudinem habere: tantum non adeo evidens eſſe, ut geometrica illa, quibus nihil prorſus reponi poteſt, ubi nec per ambages ad propoſitionis certitudinem, univerſalitatem & neceſſitatem deveniendum. Sed nec propoſitio aliqua ſeu axioma propterea veritate ſua & neceſſitate cadit, ſi quid plane ſingulariter & extraordinariè fiat, quod axiomati videatur vel adverſari vel ad id ſatis tuto referri nequeat.

§. IX. Sit verò ita, ut certa prorſus ac evidentia non minus quam mathematica, aut alia quævis ſimili

clari-

claritudine nixa, reputentur, horum tamen adplicatio quoque minus expedita est. Ostensurus enim Autor, libros N.T. genuinos esse, vi nempe primi axiomatis: liber genuinus est, qui genuinus habitus est ab omnibus proxime & continuata serie sequentibus ætatibus, nec mere genuina & authoritate digna adfert testimonia nec coæva. Primo remittit ad *Eusebium* IV. seculi scriptorem testaturum de scriptis primi seculi. *Clementem Romanum* in Epistolis ad Corinthios manifesta testimonia è Matthæo afferre. Atqui unam duntaxat genuinam veteres agnovisse constat, saltim alteram, perinde ac priorem non receptam & adprobatam fuisse certum est, si non plane fuit reprobata: qua de re vid. *Critici*. In Epistola *Barnabæ* nomine extante, aliquid ex Matthæo depromtum esse, ait, sed cum Barnabæ illam esse, quæ circumfertur, asserere certo nequeat; quid certi inde concluditur? Laudari præterea inquit Matthæum ab *Ignatio*, *Polycarpo* & *Papia Hierosol.* Atqui nec *Ignatii* epistolæ sunt indifferenter genuinæ, nec *Polycarpi* epistola, quæ circumfertur, Spiritus ejusmodi videtur, ut sedulum præstantem Johannis discipulum ejus authorem esse probabile sit, notante *Riveto* critic. quanquam ab aliis Viris criseos solidæ vindicata sit, quod hic suo loco relinquimus, illud tantum innuimus: non tam certa, expedita & indubia esse, quæ ad suffulcienda argumenta sua geometrica profert autor. De *Papia Hieropolitano* vero jam *Eusebius* notavit: Eum virum modico judicio præditum, & quamplurimis post se Ecclesiasticis viris causam erroris dedisse: fabulosarum præterea eum arguit revelationum

num, vel potius relationum. Reliquos deinde teſtes quod attinet, quò remotiores ſunt à ſcriptorum ſacrorum ætate, eo difficilius in præſenti cauſa admittuntur. In univerſum vero adverſarius notabit: Teſtes hos ipſos Chriſtianiſmo addictos fuiſſe, unde non minus dubia Ipſi authoritas eorum, quam Religionis Chriſtianæ videbitur; Quæ exterorum adducit teſtimonia, ad quædam duntaxat, non omnia in libris N.T. contenta ſpectant. Denique quando ad ipſarum Prophetiarum complementa deſcendit, collationemque V. & N.T. inſtituit, in eum ſe dimittit campum, ubi pridem Judæi & Judaizantes adverſus Chriſtianos decertaverunt, illis pertinaciſſime negantibus, vaticinia de Meſſia v.g. ad Jeſum Nazarenum pertinere, vel de Meſſia agere: Quæ omnia non eo tendunt, ac ſi Chriſtianis ſolida in Textu deeſſent fundamenta, concludendi adverſus hoſtes Redemptoris noſtri, ſed huc unice deſtinantur, ut conſtet luculentius, methodum Huetianam eliciendi originem divinam Scripturæ Sacræ è complemento vaticiniorum, non ita comparatam eſſe, ut ipſius demonſtratio tam certa ac evidens haberi debeat, quam Geometrica quævis, qvinimo certior, ut ſupra mentem Authoris indicavimus.

Exerc. XI. Reſp. HENRICO ERNESTO OWENO. Neoburgo-Luneburg. Catena hypotheſium Huetianarum ex Alnetanis

§. X. Sed cum hæc materia magni ſit momenti, quippe naturam ac certitudinem principii Theologiæ concernens, & in qua non modo *Pontificii*, & cum *ipſis Huetius* h. l. ſed & alii adverſarii ſupernaturalem Scripturæ S.vim & efficaciam negantes, ſe torquent, nugas agunt, vel etiam evomunt, operæ pretium erit, *Huetii* hypotheſes plenius, ſed in ſumma quadam repetere

quæstionibus totumque. hujus Viri Consilium; cum nostris annotationibg.

-tere ex *Alnetanis quæstionibus* imprimis, ubi Autor Apologiam fere demonstrationis suæ Evangelicæ exhibet, & cum varie à variis accepta fuerit ac judicata, propositum scopumque manifestius prodit : *Primo* consilium exponit, quod erat, quæstionem magnis Theologorum contentionibus agitatam, *uter firmior sit assensus*, Fidei, an Rationis? expedire : putat enim: suis principiis facile solvi. Opponit proinde plerorumque Theologorum suorum, inprimis Thomistarum sententiam Alteri priscorum patrum, cui & ipse accedat : quippe illos, constantiorem firmioremque assensum rebus per lumen naturale cognitis, quam per fidem, præbendum statuere ait, hos vero, Patres Fidei prærogativam dare, quorum una vox sit, certissimam esse fidem, rationem verò incertam caligine titubare, velatam esse, obseptam tenebris, ramis humanitatis opacatam. Commendat imprimis *Augustinum* & *Lactantium* vid. pag. 88. Ex altera parte, Fidei nempe, urget : Assensus firmitatem pendere ab *objecto formali* (cum schola enim se necessario hic loqui agnoscit nitidus aliàs Scriptor) objectum verò formale assensus fidei esse primam veritatem revelantem, quam qui sequitur, falli non potest; objectum autem formale rationis esse eam, quam mens in rebus agnoscere sibi videtur, evidentiam, quæ sæpe fallat. *Porro:* In applicatione assertionum istarum ad S. Sacram scribit : Sicut Scripturam S. Ecclesia proponente & declarante, per fidem credimus, autorem habere Spiritum S. & Dei verbum esse; ita per Rationem, aspirante cœlesti aura intelligimus, divinum opus esse, neque tale quicquam

huma-

humana induſtria confingi poſſe. Hoc, addit, ſe fusè probaſſe in demonſtratione Evangelica hoc præcipuo argumento : Quòd plurima in ea extent prophetica vaticinia, omnis autem prophetica facultas ſit à Deo. *Tertio :* Nequaquam tamen ſe voluiſſe hoc inſtituto divinitatem ſcripturæ ex ſola Scriptura demonſtrare, ſed ex Scriptura, propheticis nempe vaticinationibus, & traditione : quippe in hac methodo id oſtendendum fuiſſe, libros ſacros iis temporibus eſſe ſcriptos, quibus feruntur eſſe ſcripti, id quod è traditione, ſequentis nempe Ævi teſtificatione demonſtrare conatus ſit *pag. 82. 83.* *Quarto* : ſe hac ſua divinitatis Scripturæ Sacræ demonſtratione nihil Eccleſiæ derogatum velle, ad cujus jus pertineat, verum ac nativum Dei verbum à falſo internoſcere, ejusque divinitatem & certam ac nunquam fallentem veritatem hominibus declarare, & quicquid eo continetur, inter decreta fidei ad credendum proponere. Præterea *quintò* inter rationes ab hominibus excogitatas & decretum Eccleſiæ hoc intereſſe, quod liceat refragari humanis rationibus, Eccleſiæ decreto non licere, illas enim fallaces eſſe poſſe, hæc nunquam fallere. Conf. *Præfatio Demonſtrationis Evangelicæ.*

Annotationes de Aſſenſu ſupernaturali.

§. XI. Patet ex his : Authorem ita ſuum argumentum inſtruere voluiſſe, ne noceret partibus ſuis, pontificiis nēpe, ſed ex adverſo, ut prodeſſet potius nam (1) confundit *Fidem divinam* cum humana, dum illam quidem aſſerit, aſt ultimam aſſentiendi verbo Dei, ſeu ſcripturæ ſacræ rationem, è qua fides vel divina vel humana æſtimatur, haut talem indicat, aut docet, quæ fidem divi-

nam conſtituere queat : dum aliam nullam deſignat, quam argumenta, per quæ, ea, quæ credenda proponuntur, *credibilia* apparent. Sic enim ſcribit pag. 33. *Non poteſt intellectus iis aſſentiri, quæ proponuntur ſibi ad credendum, niſi ipſi videantur eſſe credibilia. Atqui videri ipſi credibilia non poſſunt, niſi exploret argumenta, cur credibilia ſint, eaque approbet, quæ ſvadeant, ea refellat, quæ deterreant.* Equidem (3) videri queat, Authorem tantum argumenta credibilitatis requirere ad fidem divinam, non ut ejus cauſam, ſed neceſſarium antecedens, vel conditionem aliquam ſine qua non. At nec hoc univerſale eſt, omnique ſubjecto Fide divina beando neceſſarium ; largitur enim Deus compluribus hoc donum, inter lectionem vel auditum verbi divini, ut fides oriatur *ex auditu verbi*, ſine ulla præcedente notitia aut meditatione credibilitatis motivorum, uti conſtat exemplis pridem â Noſtratibus collectis. Nec ut meram conditionem antecedentem requirere poteſt Fidei, qui propius fundamentum aut *objectum formale* non indigitat, ac de cetero ſe ita explicat, ut non poſsit non vis ac certitudo fidei ultimò in illa motiva reduci.

§. XII. Equidem (4) fatetur : *Gratiâ divina excitari voluntatem, quæ menti imperet*, ut primæ veritati aſſentiatur pag. 71. At ſi è gratia excitante voluntatem ad imperandum oritur fides ; utique non videtur immediate ex rationibus credibilitatis provenire, ſed ex gratia divina voluntatem flectente ad imperandum menti aſſenſum. *Deinde* videntur admodum clara eſſe & orthodoxam ſententiam ſpirare illa : *Ali-*

ud

est, rationem esse objectum formale fidei, aliud, rationem præire fidem. Credo, Deum esse triunum & unum, non propter rationem, sed propter primam veritatem revelantem & primam illam veritatem revelantem propter se ipsam, ratione utor administra; nam postulat ratio, ut hoc credam propter primam veritatem revelantem. Quæ cum ita sint, vides, rationem esse instrumentum fidei, non causam credendi. Dicit, se mysteria credere propter primam veritatem revelantem, & hanc credere propter seipsam: rationem esse tantum instrumentum fidei, non causam credendi. Arg. Qui credere se ait non propter rationem, & ratione præcedanea utitur tantum ut administra, ut & instrumento fidei, non vero nititur illa, ut *objecto formali* assensus sui, is utique non videtur confundere fidem divinam & humanam cum certitudine divina & humana.

§. XIII. Enim vero (5) quod primum illud concernit æque ac secundum, mera sunt verba, nihil fundamenti in re: id quod brevitatis causa sequenti ostendimus discursu: Qui verbo quidem jactat ex una parte gratiam Dei excitantem voluntatem ad imperandum menti, ut assentiatur mysteriis & revelationi propter se, & tamen ex altera parte se ita explicat, ut (1) rationem immediatam sive proximam, id est, in analysi theologica ultimam assensus non fundet in concursu Dei supernaturali ex parte *objecti formalis*, sed (2) potius fidem ita ex imperio voluntatis proficisci ait, prout ea quid cum ratione desiderat, *pag. 21.* quæ ratio (3) efficit, ut credam aliquod caput Fidei *pag. 22.* estque (4) quidem in hoc posita, quod

à Deo revelatum ſit caput illud, & (5) non reſpicitur Revelatio divina cum concurſu ſupernaturali divino ex *parte objecti formalis*, ſed ut ratio, res propoſitas faciens credibiles *pag. 33.* quæ credibilitas (6) exploranda per argumenta, cur credibiles ſint *l. c.* & (7) ut ab Eccleſia proponitur & declaratur, quomodo per fidem Autor S. ſacræ creditur Spiritus S. *pag. 82.* ita ut *per fidem ſine ſcriptura* divinitas & dignitas ejus agnoſcatur, *pag. 82.* (8) & per rationem ex Scriptura & conſentiente ætatum omnium ſequentium teſtimonio: cum tamen (9) humanis rationibus utpote fallacibus refragari, Eccleſiæ autem decreto, quippe quod nunquam fallat, non liceat, cum præſertim (10) hoc jus ſit Eccleſiæ, verum ac nativum verbum à falſo internoſcere, ejusque divinitatem & certam ac nunquam fallentem veritatem hominibus declarare, & quicquid eâ continetur, inter decreta Fidei ad credendum proponere. *pag. 85.* Qui, inquam, in his circumſtantiis jactat gratiam divinam excitantem, fidem divinam, certitudinem divinam, Revelationem divinam, propter qvam aſſentiatur, is certe confundit fidem humanam cum diuina, dum nempe fidem diuinam vocat, qvæ tamen ultimo ſe reſolvit non in objectum formale Revelationem, in S. Sacra ut talem, cum concurſu Dei ſupernaturali illuminante, impellente, trahente per verbum, ſed eandem vel ut credibilem per rationes, vel ut propoſitam & declaratam Eccleſiæ teſtimonio, quod nunquam fallit. Aſt fides ultimo ſe terminans & adquieſcens in rationibus propoſitis fidei, vel Eccleſiæ teſtimonio eſt humana, non divina; ſpecificatur

enim

enim ita & naturam ſuam nanciſcitur non ab authoritate divina & operatione divina illam per verbum inſinuante mentibus, ſed hum. Et hæc eſt iſta *Pontificiorum* hypotheſis à noſtratibus paſſim confutata & eruta eo fine, ut pateat, quo tendat ultimus probandi nervus *demonſtrationis Evangelicæ*, nempe ad ratiocinationem, ſalvo jure Eccleſiæ, cujus unius decreta non fallunt : Cum ex adverſo Ratiocinatio è Scriptura & traditione, qualis illa è complemento vaticiniorum, fallere queat, licet inſtituta ab ipſo ſit & adornata ita, ut demonſtrationi cuivis Mathematicæ æquiparanda ſit, imo eam ſuperet Ratio enim omnis, ut ſupra ajebat, intuta fallax, incerta, &c,

§. XIV. Nimirum *primo* vir literatiſſimus pariter ac ingenioſiſſimus, ſed Pontificius ad retundendam Judæorum imprimis pertinaciam demonſtrativa methodo inſtruxit & adornavit argumentum è propheticis vaticiniis eorumque complemento, pro divinitate & dignitate Scripturarum Sacrarum ac conſequenter veritate Religionis Chriſtianæ. Cum *Secundo* animadverteret, Nervum demonſtrationis ſuæ in fundo deſiturum in moralem certitudinem, quippe in *traditione hiſtoriça* ſubſiſtentem, ut ipſe Author in terminis fatetur, adeoque non tam in evidentia naturæ rei ut in Mathematicis & aliis ſubinde diſciplinis, quam in judicio prudenti collocatum eſſe ; quo & ipſum Eccleſiæ teſtimonium, prout argumentum credibilitatis eſt, tendit, aſſumſit hypotheſin, moralem demonſtrationem tam firmam tamque certam eſſe atque quamvis geometricam, imo certiorem, cum principiis

metricis contradicatur, ſuis autem principiis neminem adverſari, (qua de re ſupra) Enimvero *Tertio* ut hoc tanto facilius obtineret, in partes adſcivit Scepticas & Pyrrhoneas hypotheſes, quantum quidem inſtitutum poſtulabat : aſſerens, Chriſtianismo non tam adverſari, ut creditur, eas philoſophorum ſectas, quæ ſenſuum ac rationis opem ad percipiendam veritatem intutam ſciſcunt, & quæ ſuſtinent ſe ab omni aſſenſu. Item : *Rationem eſſe facultatem animi, qua conamur verum agnoſcere vel per raciocinationem vel per ſimplicem perceptionem*. Quam hypotheſin Pyrrhoniam tanto lubentius aſſumſiſſe videtur, quod animas præparat ad quietem, in conſenſu quodam externo plurium, itidem traditione nixo, quod fulcimentum eſt Eccleſiæ Pontificiæ : Quo etiam direxit author demonſtrationem ſuam ſaltim tacita calliditate erga ſimpliciores. Nam ſi quæſo, nulla major datur certitudo, nulla firmior demonſtratio, quam quæ moralis eſt, eo quidem ſenſu, ut prudenti quodam judicio, conſenſu plurium nixo, adquieſcat ; & hæc ipſa demonſtratio nihil aliud efficere queat, quam qualemcunque opinionem, *infidam*, incertam, dubiam, quæ quidem, ſuo modo tamen, nempe ſenſu *Huetiano* ſumma quæ è ratione haberi poſſit, ſcientia ſit, ut & ſupra definivit rationem, quæ intra conatum cognoſcendi verum ſubſiſtat : Si præterea ſupernaturalis quidam per verbum Dei influxus certum firmum & indubium faciens non datur, ſed illuminatio tantum ejus quædam *objectiva* vi verborum ſignificantium nec ultra, quæ verò tum demum divina cenſenda ſit, ſi proponente, declaran-

te & decernente Ecclesia verba illa seu doctrina in iis contenta innotescant, Ecclesia, inquam illa, quæ traditionibus præcipue nititur & consensum universalem melioris orbis partis prætendit; facilè mens sollicita se vertet ad illum ipsum cœtum, qui se vocat Ecclesiam talibus axiomatibus dignoscendam, quibus Pontificia superbit.

EXERCITAT. XII. Resp. IOHAN. BARWAR DO OWENO. Neoburgo-Lüneburg. De Patrum sententia in hoc arg.

§. XIV. Sicut verò hæc via *Huetiana*, utut multo Eruditionis adparatu strata, infelix quædam & fallax præparatio est ad fidem, ut hactenus ostensum; ita ipsa fides, inter quam & rationem instituit concordiam, nulla est, quippe quæ in fundo suo neque divinam certitudinem habet, ob rationem immotam supra allatam, neque humanam, quippe ex hypothesi Autoris omnia ex ratione desumta, dubia, incerta, infida sunt, nec in summo gradu suæ certitudinis ultra conatum cognoscendi veritatem se extendunt, non tantum in comparatione ad fidem divinam, quæ quidem hic nulla est; sed & juxta hypotheses scepticas hactenus allatas in se. Neque est, quod quis urgeat pro autore adhuc illud, quod fundamentum fidei divinæ in his eluceat verbis: *Lux primæ veritatis mentibus nostris illabens & se & credibilia facit aspectabilia.* Nam per lucem primæ veritatis nihil aliud intelligere potest, quam Revelationem divinam *objectivè & materialiter* sumtam in doctrinis illis, quæ à Deo in Scripturis proponuntur, prout sensum aliquem verbalem spirant, qui quanquam & ipse â Deo supernaturali quadam ratione provenit, & propterea supernaturalis gratia & lux

ab eo dicitur, tamen lucem de se supernaturalem ad accendendam Fidem divinam qua talem & in oppositione ad humanam, quæ dicitur, non fundit, sed hoc est ex eo, quod verbo huic prorsus peculiare & supernaturale est, concursu Dei supernaturali cum Revelatione supernaturali: Quo fundatam sententiam *privatum spiritum*, seu ejus effectum vocant Pontificii, stultissimâ onomatothesia, quasi privatum illud sit, ad certitudinem Fidei negandam, quod ab ipso Spiritu Sancto se omnibus per verbum impertiente ortum est.

§. XV. Cœterum, cum ex hactenus allatis obscurum esse nequeat; Amorem & studium partium Pontificiarum viro hæsisse animo, ita ut inusitato studio & singulari prorsus præ suis instituto, earum commoda promovere cupiverit; mirum non est, à recto tramite & veritatis via eum in proposito reliquo per se innocentissimo & utilissimo declinasse, nisi potius animo pressit, quæ inter meditationem argumenti sanctissimi, vel demonstrationis indoles per se vel Spiritus Sancti lux ipsi suggessit. Nam profecto præter ea, quæ superius adduximus, complura occurrunt, quæ adcuratiori examine vanescunt & dissipantur. Inprimis illa, quæ huc spectant, ratione hypotheseos *Pyrrhoniæ*, ubi haut semel monet, communem istam patrum priscorum sententiam esse, veritatem non à ratione cognosci, sed per fidem, ejusque lucem à Deo demum petendam esse: quam in rem præsertim allegat *Lactantium & Augustinum*. Et *Lactantii* quidem præclara videtur sententia illa, quando scribit:

ſcribit: *Erant viri veritatis cognitione digniſſimi, quam ſcire tantopere cupiverunt, atque ita, ut eam rebus omnibus anteponerent; nam & abjeciſſe quosdam res familiares ſuas, & renuntiaſſe omnibus voluptatibus conſtat, ut ſolam nudamque veritatem nudi expeditique ſequerentur. Tantum apud eos virtutis Nomen & autboritatis valuit, ut in ipſa ſummi boni præmium eſſe judicarent. Sed neque adepti ſunt id, quod volebant, & operam ſimulac induſtriam perdiderunt, quia veritas, id eſt arcanum Dei, qui fecit omnia, ingenio ac propriis non poteſt ſenſibus comprehendi. Inſtit. div. 1, 1.* quales alibi complures reperiuntur Sententiæ. Nec à *Tertulliano* diſſentiendum, qui *rem divinam* vocat *veritatem*, quo pertinet & illud *Auguſtini: Numen ſolum poteſt oſtendere, homini quid ſit verum.* Contra Academicos libr. III. cap. 6. *Tertullian.* *Auguſtin.*

§. XVI. Sed tales ſententiæ priſcorum nihil aliud innuunt, quam 1. Salutiferam illam veritatem, doctrinamque ſalutarem fidei petendam eſſe & expectandam à Deo revelante, hinc *Lactantius* vocat *arcanum Dei, conſilia & diſpoſitiones Majeſtatis æternæ.* Et *Auguſtinus: Summum Deum populari quadam clementia divini intellectus Auctoritatem usque ad ipſum corpus declinaſſe ac ſubmiſiſſe, cujus non ſolum præceptis ſed etiam factis excitatæ animæ redire in ſemetipſas & reſipiſcere patriam etiam ſine diſputationum concertatione potuiſſent.* 2. Philoſophi in ſapientia ſummi boni ac felicitatis rationem collocabant; at certe iſtam ſapientiam utique cogitationibus ſuis nequaquam aſſequi poterant, quippe è ſola Revelatione arceſſendam.

dam. 3. Veteres doctores in ſcriptis gentilium ita verſabantur, ut non veritatem illis denegarent omnem, ſed ſupplementi duntaxat neceſſitatem, nimirum ratione ſalutis, agnoſcerent, quod nemini ignotum eſſe poteſt, qui tantum non hoſpes eſt in veterum Scriptis, præſertim *Clementis Alexandrini*, *Origenis*, *Juſtini Martyris*, *Lactantii*, *Ambroſii*, *Auguſtini*. Unde 4. ſententiæ ſupra allatæ & ſimiles non denegant Rationi, vel eam ſecutis philoſophis veritatis ſcientiam certamque cognitionem aliquam, ſed ex adverſo potius graviter ſubinde diſputant adverſus Pyrrhonias hypotheſes: haut neſcii interim illius *Jacobi: Si quis indiget Sapientia, poſtulet à DEO, qui dat omnibus affluenter & non improperat.* Luculenter ſane, nec cum *Huetio* conveniens eſt iſta *Tertulliani* ſententia, libro *de ſpectaculis cap. 20. Erramus; nusquam & nunquam excuſatur, quod Deus damnet. Nusquam & nunquam licet, quod ſemper & ubique non licet. Hæc eſt veritatis integritas, & quæ ei debetur diſciplinæ plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obſequii, non mutare ſententiam nec variare judicium. Non poteſt aliud eſſe, quod vere quidem eſt bonum ſeu malum. Omnia autem penes veritatem Dei fixa ſunt. Ethnici, quos penes nulla eſt veritatis plenitudo, quia nec doctor veritatis Deus: malum ac bonum pro arbitrio ac libidine interpretantur.* Rejicit errorem, laudat veritatis integritatem, diſciplinæ plenitudinem, ſententiam in agnita veritate immutabilem, invariabilem, nec poſſe, quod verè bonum & malum eſt, aliud eſſe. Qui ponit ſententiam immutabilem in veritate cognita circa

obje-

objectum firmum ac immutabile, is non existimat, Rationem tantum conari cognoscere veritatem, nec cognitionem suam opinionem aut probabilem mere sententiam esse judicat, *multo minus dubiam, minus tutam, infidam*, quibus prædicatis tamen id quod è ratione certissimum est, onerat autor. Nec in comparatione certitudinis fidei divinæ, id quod cognitioni humanæ, seu rationi certum est, *dubium statim, infidum, anceps* dici debet. Fidei enim divinæ firmitudo ac certitudo non ita deprimit in comparatione scientiam, quæ est rationis, ut non sit & maneat vera certitudo & in genere suo immutabilis. Nec statim verosimile & probabile duntaxat est, quod non fide divina certum est & immotum, quasi omnes veritates rationis in unam classem compingendæ essent, vero similium nempe vel probabilium, & cum gradus quidem sint certitudinis; summus tamen non excedat probabilitatis naturam.

§. XVII. Non minus *Augustinus* graviter & è nostra sententia disputat contra Academicos, de quibus notat *lib. III. cap. 10.* Duo esse, quæ ab illis dicuntur, *nihil posse percipi & nulli rei debere nos assentiri.* Attendamus vero, quomodo contra eos disputet, uno alterove specimine: *Unde scis*. ait, *mundum hunc esse, si sensus falluntur? Nunquam rationes vestræ ita vim sensuum refellere potuerunt, ut convinceretis nos nihil videre.* Academicos alloquitur, & id primo evincit, quicquid Academici de sensibus disputant, non tamen negare posse, *sibi aliquid videri*, dicere enim eos, posse falsum videri à sentientibus, nihil videri,

non posse dicere. Sed jam *secundo* sibi objicit: *etiamsi dormis, mundus est iste, quem vides?* Respondet inter alia: *istam totam corporum molem atque machinam, in qua sumus, sive dormientes sive furentes sive vigilantes sive sani, sive non sani, aut unam esse aut non esse unam. Edissere quomodo possit esse falsa sententia ista? Si enim dormio, fieri potest, ut nihil dixerim, aut si etiam ore dormientis verba, ut solet, evaserunt, potest fieri, ut non hic non ita sedens, non istis audientibus dixerim, ut autem hoc falsum sit, non potest.* Rursus: *Si unus & sex mundi sunt: septem mundos esse, quoquo modo affectus sim. manifestum est. Et id me scire non impudenter affirmo. Quare vel hanc connexionem, vel illas superius disjunctiones doce somno aut furore aut vanitate sensuum posse esse falsas, & me, si expergefactus ista meminero, victum esse concedam. Ter terna novem esse vel humano genere stertente necesse esse, sit verum* &c. Nimirum contendit Augustinus contra Academicos, dari scientiam veritatum necessariarum, & posito, sensus tantum opinionem generare, tamen nondum evictum esse, quod volunt illi: nam posse nihilominus *scientiam contineri intelligentia, remotamque à sensibus in mente vivere*, quod nonnulli statuunt Philosophi. Quod verò supra de sensibus dixerat, id ad certitudinem ita redigit: *Non video, quomodo refellat Academicus* eum, qui *dicit: hoc mihi candidum videri scio, auditum meum delectari scio, hoc mihi jucunde olere scio, quis hic tam impudens sit, qui mihi cum delectatione aliquid ligurienti dicat, fortasse non gustas,*

ſed hoc ſomnium eſt. Sed nec ita obtinere illos *Nam etiam in ſomnis illud me delectaret.* cap. II. l. e.

§. XVIII. Conferamus ea, quæ in tractatu *de de libero arbitrio* circa moralia diſſerit *libro primo* cap. VI. & VIII. ubi de *lege æterna* diſputat, *& incommutabili, juxta quam juſtum ſit omnia ordinatiſſima eſſe, quæ lex nobis impreſſa: neque ullam vim, ullum caſum, ullam rerum labem unquam efficere, ut juſtum non ſit, omnia eſſe ordinatiſſima.* Similiter in dialecticis, neceſſarias colligit propoſitiones: veluti, *ſi quatuor in mundo elementa ſunt, non ſunt quinque, ſi ſol unus, non duo. Non poteſt una anima & mori & immortalis eſſe. Non poteſt homo ſimul beatus & miſer eſſe. Non hic & ſol lucet & nox eſt.* Ex quibus, ſi ſententiam Patris nobis ſiſtere velimus, breviter ita comprehendi poſſe videtur: dari utique veritates tum theoreticas tum practicas, tam certas tamque firmas & immotas, ut ſi quis in dubium eas vocare velit, ſibimet ipſi veluti vim facere debeat, & omnem rationem ejurare. Exiſtimandum igitur: congenitam eſſe homini vim quandam & facultatem, juxta quam homo etiam nunc poſt lapſum vetitates ceu evidentes ſibi, ita cognoſcere poteſt, ut terminis tantum adprehenſis aſſenſum non modo ſua ſponte præbere queat, ſed & tam certum tamque firmum & immotum, ut prius ſe beſtiam credere coactus ſit, aut naturæ intelligenti vim facere, quam de ea dubitare poſſit. Ex veritatibus inſuper cognitis concluſiones ducere novit aliquas, tam neceſſario tamque firmo nexu ac ſequela, ut perinde eſſet hominem non eſſe, quam illi non aſſentiri:

uti experientia docet, ac in hac ipſa diſſertatione tales propoſitiones ſunt adductæ: quales & paulò ante ab *Auguſtino*. Sunt præterea aliæ, quæ tanti gradus certitudinis non ſunt & neceſſitatis, ſed cum aliquo metu oppoſiti conjunctæ eſſe poſſunt. Cæterum dediſſe nobis ſummum illum opificem, Deum ſenſus ac intellectum, quibus recte diſpoſitis fides haberi debet de objectis, ſtatuendum ſimul, nam ſi ad incertitudinem & dubitationem duntaxat collati ſint; perinde eſt, ac ſi collata ſermocinandi facultate, nihilominus conceptus alteri communicari nequeat, & adeo nobiliſſima facultas effectu ſuo proprio deſtituatur. Nec ad vitæ praxin adque pædagogiam ad fidem ita apta eſt hypotheſis de mera opinione in circulo rationis, ut altera de certitudine firma quadam in ratione: nam quò certior quis eſt de veritate, eò magis ad praxin per illam ſe dirigi patietur, quo magis verò anceps ad aſſenſum, eo ſegnior erit ad praxin. Moderatio tamen in ſentiendo utilis eſt & verè Chriſtiana, neque temere pro ſcientia venditandum, quod intra opinativam ſubſiſtit notitiam, nec unum cum altero confundendum.

§. XIX.

Quamquam Ignorantia Authoris ſecundarii libri Διοπνέυςε haud deroget authoritati divinæ iſtius libri; tamen negatio illius, quem Scriptura ipſa luculenter deſignavit, & periculoſum & præfractæ mentis judicium eſt. Nec obſtaculà, vel dubia quæ ſubrepunt, tanti æſtimari debebant, ut propterea ab eo quod perſpicue poſitum eſt, ſe dimoveri patiatur prudens,

& ad diverſam ſententiam impelli, etſi in comparatione utriusque adpareat; illam, quæ per ſe & abſolutè conſiderata extra ſcrupulos poſita erat, nunc intuitu exortarum difficultatum ita reddi ancipitem: ſi cui minus periculum videri queat, illà cedere, uam difficultates aliunde è S. S. promanantes prorſus contemnere; id tamen in controverſia de *Moſe Pentateuchi autore* non obtinet, ut propterea à communi ſententia diſcedendum ſit cum illis, qui Chriſti aſſertum: *Moſes de Me ſcripſit, Joh. V, 46. 47.* torquent: quorum ſententias collegit & confutavit *Witſius Miſcell. ſacror. lib. I. cap. XIV.*

§. XX. Anima Scripturæ *ſenſus* eſt: qui, cum ſemel placuerit Numini divino, hoc medio communicare ſententiam ſuam de ſalute humana ipſis hominibus, non poteſt non de lege naturæ eo modo inquiri & erui, quomodo ſenſus Scripti erui & percipi ſolet, verborum vim, contextum, antecedentia & conſequentia, intentionem & ſcopum Scriptoris conſiderando & ſimilia. Atque hic ſenſus adcurate loquendo *literalis eſt*, uſu omnium gentium, quæ Scripturâ utuntur. Nam ſi ab his diſcedas regulis ac mediis ſenſum cognoſcendi, nihil amplius ſupereſt, quam ut perpetuo fluctues, neque unquam Scriptoris mentem certo aſſequaris, ut gentiles oraculorum: vel immediatam revelationem præſtoleris neceſſe eſt: quæ hypotheſis *Enthuſiaſtarum* ipſa. Unde ſi quis hæc principia *miſeram* vocet *logicam* opponatque ſenſum ſpiritualem, ad quem tamen illâ via deveniendum, utpote quæ ab ipſo Deo præſcripta & ordinata; jactet interim

EXERCITAT XIII. Reſpond. JOHAN. GEORG. SÖHNLEIN. Mœno-Francof. De Senſu myſtico S. Scripturæ. I. Senſus literalis.

rim peculiarem & ſingularem gratiam divinam, Eum immediatas inſpirationes expectare oportet: quod abſurdum, & divino conſilio prorſus adverſum, poſtquam ſemel ſcriptis tradere mentem conſtitutum eſt.

2. *Myſticus.* Ad hunc *literalem* neceſſariò *myſticus* qui vocatur, ex intentione Spiritus S. ſuo modo referendus. Nam ſi nullo è ſupra dictis mediis indagari poſſit, vel merum ingenii luſum, vel ex adverſo, ſi cum analogia fidei conveniat, tantum piam meditationem eſſe oportet ſenſum illum, qui *myſticus* dicitur, vel accommodationem, quæ in tantum admittitur, in quantum Analogiæ fidei & doctrinæ ſalutari aliàs claræ conveniens eſt.

3. *Illatus.* §. XXI. Qui verò tanquam à Spiritu S. intentus perſpici non poteſt, nec articulis aut ſenſibus hactenus è claris locis erutis, congruus, is nonniſi ſomnii & imaginationis meræ locum obtinere poteſt. Nec eximitur ex hac claſſe, ſi per umbras veluti & adhibita artificia, imo ſuperſtitionem, ſingulare quid expreſſerit, quod *Myſtici* faciunt, præter naturam ordinis & fundamenti hermeneutici: quomodo ſane Scriptura inſtar cerei naſi huc & illuc flecti poterit, nihilque amplius in ea certum fuerit; ſed cuncta ad cujusvis guſtum & lubitum trahi & ingenio elevari poſſunt. Liberius tamen illi in hoc inſtituto verſari poterunt, qui ſi plus æquo Textum vel verba textus premant; non tamen novos inde Articulos emungere cupiant, vel peculiares ſenſus inauditos. Quanquam vero *myſticus* per ſe literalis non ſit; in tantum tamen cum eo convenientiam habet, in quantum à Spiritu S. inten-

intenditur, & in re per verba ſenſus literalis denotata ſignificatur, ipſo Indice : cum alter ille, illatus, nullo modo à Spiritu S. intèntus dici queat. Neque vero, ſi is, utpote Author Scripturæ principalis ſubinde ſenſus verborum immediatos & naturales magis tranſtulit aliò, uti factum deprehendimus in *Allegoriis*, *Typis & Parabolis;* propterea ad Exemplum ipſius, interpreti licebit aliam, quam regulæ bonæ interpretationis admittunt ſenſum extruere & pro ſpirituali ac divino venditare, aut peculiare inde dogma aut hypotheſin, cui inhæreat, exterebrare. Quod tamen *myſtici* faciunt, qui ſectando profundas & allegoricas explicationes applicationesque ſacrarum literarum ex ſuo ingenio ac ſpiritu majeſtati & divinæ ſapientiæ derogant, altiora quærentes, comtemptâ literæ ſimplicitate & planitie.

§. XXII. Quod ſi ad altiores illius modi Scripturam tractandi deveniendum ſit origines, videtur, *Arrogantiam & ingenii humani luxuriam nominandas eſſe:* Nam quod ſponte ſe prodit, & cuivis patet, facile vileſcit abſcondita vero & latentia ſapientiæ præſumtionem conciliant, & æſtimantur. Hinc antiquiſſimi ſapientum res divinas ita tractari volebant, ut ipſi tantum arcanorum conſcii haberentur, reliqui vero ad venerationem magis abditorum adſtringerentur, eorumque, qui talium conſcii eſſent. Huic tamen inſtituto ſuperſtitionem conciliaſſe autoritatem dubitari nequit: Quippe *Naturam divinam ſe celare velle*, & abditam ejus ſubſtantiam non pati, ſe nudis verbis in aures introire pollutas, perſuaſum ſibi habebant.

De origine myſticæ tractationis.

Arrogantia.

Luxus ingenii.

Superſtitio

bebant. Deo enim naturæq; inimicam esse nudam apertamque Expositionem, qui sicut vulgaribus hominum sensibus intellectum sui vario rerũ tegmine operimentoque subtraxerit, ita arcana sua à prudentibus per arcana tractari voluerit. Hinc antiquissimi *poetæ* tum res divinas tum naturales, figmentis involutas cecinerunt, quos secuti *conditores novarum legum* Religionumque. Inde & Philosophi per ænigmata & symbola sententias suas tradere cœperunt. Sic itaque factum est, ut sententiæ de Deo rebusque divinis ac naturalibus antiquitus tenebris plerumque cimmeriis occultarentur, fabularumque labyrinthis diffunderentur. Conf. *Gyraldum ad Symbola Pythag. Baco de Verulamio in Sapientia veterum*, inprimis *Joh. Gerh. Vossius* in majori opere *de Theologia Gentili.* E veteribus *Augustinus de Civit. Dei;* eo præsertim loco, ubi de antiquitate Mosis ac deinceps de antiquissimis agit Poëtis, & alibi: ubi conf. *Ludovicus Vives.*

Ultima origo, ubi Satanæ calliditas. Qu. An Deus se celare velit, & num divina sub figuris ob-scuris tradi debeant?

§. XXIII. Deprehendimus vero hic manifestò Satanæ molimina in duobus: *Primo* in eo; quod hominibus imprimit: Deum se velle celare. *Secundò:* nonnisi sub figuris & ænigmatibus aliquid de Deo & rebus divinis debere tradi, ne obvia cuivis esset sententia divina. Dignoscitur hîc potestas ac vis tenebrarum è sequentibus. I. Refragatur id Bonitati divinæ, misericordiæ ac sapientiæ: Nam cum Deus hominem condiderit, recta ratione præditum & lumine ipsum cognoscendi, quomodo se celare velit, qui sui notitiam *illis inplantavit, ut quærerent Deum, si forte palpent eam? Act. XVII. 27. Rom. I. 19. 20.* II. Re-

pugnat

pugnat Revelatio literis consignata divino instinctu & mandato orbique communicata, *ut Deum cognoscant, & quem misit JEsum Christum. Joh. XVII, 3.* III. Revelatio illa divina non proposita est, ut celetur, sed ut omnibus hominibus cognita fiat, quamobrem universo orbi prædicari fecit doctrinam illâ contentam. *Matth. XXVIII. ult.* Dicitur *lucerna lucens in loco caliginoso, II. Petr. I, 19. lumen pedibus nostris*, i.e. ad ductum in via salutis. *Ps.* 119, 105. Nec IV. figuras, typos, ac allegorias ad celandum seu occultandum veritatem, sed ad studiosam indagationem dedit, *Joh. V, 39. Scrutamini Scripturas*, ad captum faciliorem & ad jucunditatem, neque enim *figuratos, mysticos & parbolicos sensus obscuros* prodidit, sed *declaratos*, quemadmodum videre est in parabolis Christi, si quæ subinde difficultates adparent, non sunt adeo in iis, quæ ad notitiam Dei salutarem spectant, quam in aliis. Pertinent huc sententiæ illæ è veteribus excerptæ apud *Gerhard. in Harmon.* & *Danbauer in Hodosoph. quod difficilius quæritur, solet dulcius inveniri; nec putetis, ista nobis obscuritate subtracta, sed dtfficultate condita. Scripturæ intelligentia, si cunctis aperta esset, vilesceret. In quibusdam locis obscurioribus, tanto majori dulcedine inventa reficit, quanto majori labore fatigat animam quæsita.* Aliud est præterea *sensuum* claritas, aliud vero mysteriorum illis contentorum inevidentia. Non se celatum cupit, qui eousque se cognoscendum præbet, quousque in hac vita peccato, defectibus & erroribus obnoxia, fieri potest, ac par est, ipsaque Essentia Dei purissima perfectissima admittit. Itaque

V. gratioſus Dei condeſcenſus eſt, quando ſub involucris ſubinde cœleſtia proponit myſteria.

§. XXIV. Jam VI. illa hypotheſis de celando Deo,& non niſi ſub umbris & figuris proponendis rebus divinis, quæ non monſtra ſententiarum peperit & parere porrò poteſt! *Primò* ita nullus amplius terminuserit, quo ſiſtantur myſticæ interpretationes arbitrariæ: nam ſi non omnia, ſaltim pleraque in SS. in ſenſum myſticum trahenda erunt: neque aliud ſiſtendi in literali ſenſu aut progrediendi ulterius medium erit, quam vel ratio corrupta, vel immediata Revelatio. Illud *Socinianiſmi* evagationem, hoc *Enthuſiaſmi* veſtigia ſtolida manifeſtò prodit. *Secundò* hoc modo mentem ſemper in ancipiti poſitam eſſe, neceſſum erit, nec unquam ad veritatis cognitionem pervenire, ipſam verò ſcripturam luxari & in quasvis cogitationes torqueri, quas quis è fundo hypotheſium ſuarum elicit. Unde *tertiò* ſequitur: luxato de ſede ſua principio cognoſcendi Theologiæ, Scripturâ, Theologiam ipſam quoque inde deductam ejusdem eſſe indolis, i. e. incertam, vagam, ſtolidam, omnibus in mundo coetibus aptam, & huc puto tendere noviſſimorum etiam *myſticorum* inſtituta atque propoſita, qui vel animi vitio vel ingenii luxuria, vel lucri turpis ſpe Theologiam hanc commendant in præſidium contaminatiſſimi *Syncretiſmi*, vel potius *Indifferentiſmi*, quò impetu quodam tempora noſtra ruunt: à quibus omninò diſtingvendi pii Theologi, quorum ſtudium myſticum, ut ita loquar, vel *practicum* magis & *homileticum* intra cancellos Analogiæ fidei

Abſurda porrò conſequentia.

dei & veræ pietatis ſubſiſtit, nec terminos certitudinis ſcripturæ ſenſus movet, ſed piæ meditationis alimenta quærit.

§. XXV. Cæterum exempla temeritatis in ſcripturam in hoc genere, id eſt myſticæ complura poſſemus tum ex veteribus, *Origene* inprimis, & recentioribus nonnullis adferre. Sed inſtituto noſtro illuſtrando nunc pauca ſufficient. Quis illa in totum admittere poteſt, quando de ſe ſcribit Origenes: *Ego credens verbis Domini mei Jeſu Chriſti in lege & Prophetis iſta iota quidem unum, aut unum apicem non puto eſſe myſteriis vacuum: nec puto, horum aliquid tranſire poſſe, donec omnia fiant? Homil.* 1. in *Exod.* myſteria opponit Textui literali. Videamus autem, quam facilè ſit, juxta myſtica conſilia deſerere Textum, & ad alia diverti. *Homil.* 6. in Gen. ſcribit idem: *quæ nobis ædificatio erit, legentibus Abraham tantum Patriarcham non ſolum mentitum eſſe, ſed & pudicitiam conjugis prodidiſſe? quid nos ædificat tanti Patriarchæ uxor, ſi putetur contaminationibus expoſita per conniventiam maritalem? Hæc Judæi putent, & ſi qui cum eis ſunt literæ Amici, non Spiritus.* Et alibi: *in his hiſtoriæ non narrantur, ſed myſteria contexuntur.* Proletariæ iſti & ferè deſperatæ commentationi occaſionem inprimis dedere adverſarii, gentiles, ſacram Scripturam contemptui habentes, urgentesque de lege communi literam vel literalem ſenſum, quem cum ſalva Majeſtate divina & ſanctitate retinere ſe non poſſe putaret, figmento ſe myſtico expedire tentavit. Conf. *Huetius* in *Origenianis.* Jam quis concoquere poſſet licentio-

Exempla perverſæ interpretationis myſticæ.

ſas illas interpretationes vel potius corruptiones Textus Moſaici *Gen.* III. de ſerpente Evam ſeducente *Joh. Clerici,* vel potius ab ipſo collectas & exaſciatas, quando ait: (1.) *Judæos* quosdam ad Allegoriam confugiſſe; (2.) ænigma eſſe hanc hiſtoriam, unde hoc tantum liquidò cognoſci poſſit: primos humani generis parentes initium feciſſe peccandi, unde innumera mala poſteris incubuerint. At quomodo peccatum in orbem ingreſſum ſit, adeò ut primi peccati circumſtantias perſpicuè, & ſine ulla dubitandi ratione intelligere poſſimus, indicare eorum eſſe, qui rei interfuerunt, ſi reviviſcerent. (3.) Illuſtrat iſtam cognitionem antiquiſſimorum philoſophorum more, qui uſi ſint *Apologis* è brutis petitis: veluti de fraude dicturi vulpem inducere ſoliti &c. En quomodo res magni momenti in meras fabulas deprimat, quod ſi licebit, quid fiet de aliis textibus ad modulum prudentiæ carnalis non aptum? Tales ſunt exceſſus Theologiæ myſticæ. Eſt ergò Theologia myſtica juxta hactenus tradita, *divina* aliqua ex Deo ortum trahens, literalem ſenſum non reſpuens, moderationem tenens, ad plerophoriam tendens, ædificationem quærens, & unionem veram in Spiritu. Eſt verò & ex altera parte, myſtica, *diabolica*, Deum ac res divinas ne cognoſcantur ab omnibus, occultans, figuras ad obſcurandum ſectans: quæ non attendit literalem ſenſum, ſed rationem, vel imaginarium Spiritum, cuncta in Scriptura laxat, & luxat, præceps in ſentiendi libertatem, incerta, vaga, pernicioſa &c.

Diſtinctio Theologiæ myſticæ.

§. XXVI.

§. XXVI. A principio ſalutaris doctrinæ digredimur ad Finem ſeu ſummum Bonum, cujus participem fieri, vera demum beatitudo eſt. De *DEO Uno & Trino* ſicut nihil novit ratio ſibi relicta; ita ubi myſterium è verbo Dei proponitur, obſtrepit illa, mox imagines ſibi fingit, & Fidei Argumenta ad phantaſmata detorquet, ſuaque decempeda metitur, fugit limites & cuſtodes veritatis myſterioſæ, Eccleſiæ nomina, quæ vel neceſſitas extorſit, vel brevitatis conſilium invenit, prætextus quærit, & ſub ſpecie religioſa tenendi verba phraſesque Spiritus S. ſenſum verum rejicit, fictumque intrudere audet. Hinc antiquæ *hæreticorum* querelæ, *Arianorum* inprimis, paſſim notatæ, repetitæ vero recentius à S.S. Trinitatis abnegatoribus: quorum ſententiam, vel potius colores in re præſenti refert *Goth. Arnold.* in Hiſtor. hæret. his verbis: Es erhellet aus Ihren (von Ihnen nemblich angeführten) Bekäntnüßen/ daß ſie ſich meiſtens an denen in die Theologie eingeführten Schul-terminis geſtoſſen/ und lieber mit der Schrifft zu reden verlanget/ in welcher Meinung ihre Nachkommen durchgehends verblieben. 11, 16, 23. p. 399. Repetit idem alibi cum *Epicriſi*: Sie ſchlieſſen die Wörter/ ſo in der Schrifft nicht ausdrücklich ſtehen/ aus/ als Perſon/ und dergleichen. Rurſus: Es beruffen ſich immer dieſe Leute bloß auf die Schrifft-Worte/ und derſelben klaren Ausdrücke.

EXERCITATIO XIV. FR. HANNIBAL STEMPEL, Adi. *de Terminorum ἀγράφων in myſterio Trinitatis uſu & neceſſitate.* Ubi 1. *Rationis perverſæ prætextus rationem vocum.* 2. *Oſtenſi exemplis hæreticorum, de quorum coloribus Arnoldi hiſt. har.*

§. XXVII. Comparat vero cum hac ſententia B. Nicol. Hunnium è Credendis, quando ſubjicit: Faſt wie D. Hunnius einem Chriſten freyzuſtellen nöthig achtet/ ob er wolle dieſe Reden (in dem einigen Göttlichen

3. *Collatio B. Hunnii, ab Arnoldo facta.*

Wesen sind drey Personen) gebrauchen und / daß niemand an diese Art zu reden verbunden sey/von der H. Dreyeinigkeit / oder von den drey Personen in GOtt; noch sich selber peinigen solle / wie er das Wort Person verstehe. Inde solliciti fuerunt pii viri de mente Theologi adcurati, cum quo verò & alii conferri possunt.

4. *Aliorum Theologorum.*

Sic enim & B. Gerhardus de Neophotinianis: *Concedunt nobis Patrem, Filium & Spiritum, nec adigemus illos, ut vocibus illis ecclesiasticis utantur* L. de myst. Trinit. §. 42. Theologi Witteb. im Gr. Bew. p. 88. Wir müssen GOtt erkennen / wie er sich in seinen Wort geoffenbahret hat / nach seinem Wesen / Wercken und heiligen Willen. Nach seinem Wesen / daß er eines unzertrenneten einigen Wesens sey / iedoch / daß in diesem einigen Göttlichen Wesen drey unterschiedliche Personen seyn NB. oder ja aufs einfältigste / daß der einige wahre GOtt / außer dem kein anderer GOtt / sey Vater / Sohn und Heil. Geist. Patet, singulos istos, ne de aliis dicamus, ad recti sensus regulam, non tamen formulæ ecclesiasticæ necessitatem adstringere. Sed videndum quo tendat eorum mens, ut de prudentiæ ecclesiasticæ momento in hac re constet.

5. *Mens eorum.*

§. XXVIII. Equidem alibi iam ab aliis observatum est, eos, qui ab infidelibus, seu adversariis ad veræ fidei professionem transeunt, non statim capere ecclesiasticum sermonem in tanto mysterio, qui proinde tolerandi sint, simpliciori loquendi ratione utentes, donec consuetis formulis adsuefiant; quo Hunnius respexerit. Sed fundamentum huius rei, quo & hic & alii Theologi in eiusmodi assertionibus reflexerunt,

runt, id est: quòd si veritatis sensus animo teneatur, verba & phrases ab ecclesia ad explicationem dogmatis adhibitæ non debeant innocentibus animis periculum creare. Nimirum in his & similibus Theologorum monitis non est conformitas cum *hæreticis* & *Indifferentistis*, non unus scopus & propositum. Hi enim eversione phrasium illarum conantur ipsam doctrinæ regulam detorquere, vel destruere. Exemplum suppeditat luculentum illius consilii perditissimi *Euagrius Hist. Eccles. lib. 1, c. 1,* ubi memorat, quibus artibus usus sit Satanas ad turbandam Ecclesiam, cum nempe ut hostis aperte oppugnare fidem veritus sit, magis latronum more id agere adgressum esse, per insidias nimirum & astum, ὃ γὰρ πρότερον, ita pergit, μόνον ἀντίπαλον εἶχε, νῦν τιθηται καὶ περιπύσσεται· καὶ οὐκ εἰ τὸ παντὸς ἐξώσαι γε φρυαπόμενος, ἀλλ' εἰ καὶ λέξιν τινα παραχαράπειν οἷός τε γένοιτο. Adde quæ sequuntur ibi. Non certe specie caret: doctrinam non carpere velle: loquendi modum tantum displicere, de vocula, de litterula agi. Conf. *Vedel. de Pr. Eccles. lib. III. c. III.* Si præsertim pacis ecclesiasticæ & concordiæ ratio interveniat, quod *Ariani* maxime urgebant, arguentes vocem, quæ in scripturis non exstet causam esse discordiæ, qua & ii, qui Ecclesiis præsunt, laborent, & populus: utpote quæ doctrinæ Fidei inserta sit, ut annotavit *Theodoretus*, in Hist. Eccles. l. II. cap. III. Conf. *de vocibus* ὁσία & ὑπόστασις *Forbes. Inst. Theol. l. 2.* At facile seprodunt fraudes istæ. Non enim phrasibus & verbis ecclesiasticis bellum moveri, sed ipsi veritati, & summis mysteriis, constat *tum* ipsorum doctrina, vel Erroris potius professione, quemadmodum de Arianis

6. *Hæreticorum & Indifferentistarum consilia & fraudes sub prætextu vocula,*

Studii pacis Eccles.

Detectæ per rationes.

notum est, quod vocem ὁμοούσιος non ferre potuerint, quia animadvertebant errori suo esse adversam. Sic *Ambrosius Tractatu de Fide lib. III, cap. VII* in medio fere scribit: *quid aliud est, cur ἐμοούσιον Patri nolint Filium dici, nisi quia nolunt verum Dei Filium confiteri.* Adducit postea ex *Eusebii Nicomed.* Epistola illa verba: *Si verum Dei Filium, & increatum dicimus, ὁμοούσιον cum patre inprimis confiteri: Tum* confictione vocum, quæ & ipsæ non è Scriptura desumtæ, à quibus tamen non abhorrebant, quia errori suo commodas iudicabant: veluti illud ὁμοιούσιον, quamquam ex illo Patres urgebant Fidem τῆ ὁμοουσίᾳ. Vid. *Petav.* Theol. dogm. IV, 6, 12.

Theologorum consilium specialim ratione proselytorum probatur duplici argumento.

§. XXIX. Ex adverso vero theologi monitis istis de libertate utendi vocibus, quæ ἄγραφα sunt, inprimis proselytorum, seu noviter conversorum imbecillitati consulere voluerunt, quippe qui pristinæ erroris onomatologiæ adsueti non semper adeo facile *voces* & *phrases*, quibus præsertim profundissima signantur mysteria, quæ antea vel ignoraverant vel negauerant, capiunt. Unde, si rectum sensum teneant, aut tenere discant, ad vocabula Ecclesiæ non cogendi sunt: *tum* quod Spiritus S. non adstrinxit veritatis sensum ad istam præcise formulam: *tum* quod salva salute illæ voces non scriptæ ignorari possunt, & etiam suo modo negari. *Arg.* Quæ vocabula à Spiritu S. in consignanda regula, & norma fidei non sunt usurpata, nec per se præcise necessaria ad fidem & salutem, illa non obtrudenda sunt converso hæsitanti de verbis, sensum tamen tenenti. A. vocabula non scripta &c. Ergo &c.

go &c. Ratio maioris est, quia dum non usurpavit, nec tamquam necessaria determinavit, eo ipso liberum reliquit mentem suam illis exprimere, vel solis verbis à se sanctificatis uti, si modo rectus sensus retineatur. Quod vero Spiritus S. liberum reliquit, nec determinavit, illud non potest Ecclesia determinare sub ratione & periculo salutis, ut absolutè necessarium. Huc enim pertinet illud ad *Galatas V, 1. In libertate, qua s. in quam Christus nos liberavit, state, & ne rursus iugo servitutis implicemini.* Adde *I Petr. V: Pascite gregem, non dominium exercentes adversus cleros* &c. *II. Cor. I, 24.*

Aliud arg.

§. XXX. Præterea ipsa praxi Spiritus S. & Ecclesiæ usu & experientia, reique natura manifestò constat, & verba genuinum sensum spirantia retineri posse abolito nucleo, sensu, & sensum legitimum conservari sine certa & determinata hac vel illa Ecclesiæ aut hominum formula. Sed ut rem plane à primis suis & altioribus repetamus fundamentis; equi- dem Spiritus S. doctrinam salutarem in S. sacra revelans sensum non modo, sed & verba ipsa inspirando Scriptoribus sacris, adeo sanctificavit & confecravit ea, ut, qui respuit, sua substituens, ut Sp. S. eo ipso gravissimi reus sit sacrilegii, & obnoxius poenæ denunciatæ *Apocalyps. XXII, 17, 18.* cum præsertim mens divina, vel sensus Spiritus S. aliunde hauriri nequeat & *originaliter*, quàm è signis divinis. Non tamen ad illa signa, quin idem sensus illis contentus aliis etiam exprimi posset, adstrinxisse, patet *tùm ex fine* Scripturæ *normativo* universali; debebat enim illa norma & regula esse cognoscendæ viæ salutis omnibus gentibus,

Altiora rei fundamenta inquirunt ur ubi (1) Verba Sp. S. esse sola retinenda. (2) Aliis tamẽ primò Eiusdem sensum exprimere licitum esse probatur ex fine normativo

cum

cum tamen non omnibus illa ſigna originalia nota fuerint, aut eſſe potuerint; unde intelligitur, aliarum linguarum vocibus & formulis ut exprimerentur & redderentur ſua, Spiritum S. voluiſſe: cui fini etiam variarum linguarum donum conceſſit *Act. II, 4, ſeqq.* *I. Cor. XII, 10. tùm ex officio & dono* interpretandi S. ſacram, non tantum per ſimplicem in aliam linguam converſionem, ſed paraphraſes, expoſitiones, commentarios, quod *prophetiæ* ſubinde nomine deſignatur in Scriptura S. velut *Rom. XII, 6*, ubi eam iuxta Fidei Analogiam inſtitui debere monet *Paulus*, non poſtulat, ut meris Scripturæ verbis fiat, ſed iuxta proportionem Fidei, id eſt, iuxta ſenſum illum in Scriptura S. qui prima veluti principia totius doctrinæ conſtituit: *tùm ex modo diverſo*, quo aliquid in S. S. continetur: non enim omnia κατὰ λέξιν, ſed & κατὰ διάνοιαν ibi multa proponuntur, ubi certe ſufficit, quod conſequentia implicite contineatur in verbis S. Sacræ, ut vero eadem vel Scripturæ verbis exprimatur, vel aliis, perinde eſt, manet enim eadem.

ex officio & dono interpretandi S.

ex iis quæ per conſequentiam in SS. continentur.

§. XXXI. Quod ſi igitur ex intentione DEI gratioſi Scriptura & in varias linguas converti, & explicatione illuſtrari, & ſenſum ſuum ſubinde *implicite*, nonexpreſſis verbis exhibere debuit; certe ad verba ipſa ita adſtringere non voluit, quin ſenſus eorum aliis, nec Scripturæ S. verbis exprimi poſſet. Quin potius libertatem id faciendi non modo conceſſiſſe, ſed & ad id obligaſſe facile intelligitur, ut, ſi neceſſitas ita poſtularet, veluti quando abuſu verborum S. S. legitimus ſenſus, & doctrina ſalutaris ſub ſpecie ſermonis

(3.) *nec licitum tantum eſſe, ſed aliquando etiam debere uſurpari*

divini

divini obſcuratur vel rejicitur, ut ad reprimendum hoſtem veritatis voces & termini aliunde arceſſerentur, ad exquiſitius cuſtodiendum mentem Domini, & ſeparandum mendacium à veritate, id omnino fieret. Non, quod Deus caſus iſtos non præviderit, nec commodo obice, id eſt, commoda voce præſtruere malitiam Satanæ potuerit, quod blaſphemum: ſed, quod *ſtudium & laborem* commendaverit: ac proinde diligentiam & prudentiam in tractando verbo Dei adhiberi voluerit. Sic ſenſibus ſuum opus reliquit: videre, audire: menti, intelligere, unum ex altero deducere: & ſimili ratione prudentiæ & piæ ſagacitati, cuius eſt Satanæ fraudes detegere, veritatem, tamquam cimelium divinum cuſtodire &c. Atque ſic in liquido ponitur: non concedere tantum Numen, myſteria aliquando formulis extra S. S. enunciare, ſed & velle, & iniungere ſuo modo, *tùm* ut vocabula originalia in alias linguas transferantur ad intelligendum, *tùm* ut explicatio accedat commodis quibusvis verbis: *tùm* denique, ut voces & termini, qui in S. S. ratione fontium non exſtant, ceu ſubſidia prudentiæ eccleſiaſticæ ad deſignanda myſteria adhibeantur. Nam qui vult finem, media quoque intendere cenſetur. Deus autem intendit illum finem, nempe doctrinæ ſalutaris conſervationem & cuſtodiam: unde & mediorum ad iſtum finem efficacium adplicationem velle per ſe intelligitur. At vocabula extra Scripturam, & phraſes aliquando ſunt medium detegendi fraudes Satanæ, & conſervandi veram doctrinam in typo.

§. XXXII. Licet vero cuiusvis in Eccleſia membri *miniſtrorũ* *Ratione*

Ecclesiæ in officio Elenchtico.

bri officium sit, veram doctrinam, quantum in se est, tueri & custodire, quoad propriam maximè salutem; tamen cum Ministri Ecclesiæ munus sit, à Deo demandatum ipsi, *ut teneat doctrinam πιςὸν λόγον* & potens sit exhortari, ac contradicentes convincere *Tit.1,9.* Conf. *Malach. II,7.* hoc certe nomine etiam ipsi incumbet, si non possit per adversariorum malitiam & fraudes in simplici Spiritus S. sermone adquiescere, adhibere aliunde signa, & instrumenta ad exprimendum determinatum sensum, verbis ipsius congruum. Exemplum suppeditant doctores veteris Ecclesiæ: quorum consilia gravi instituto excerpsit *Chemnitius* L. de Deo

In officio docendi.

cap. V. Neque vero in illo duntaxat casu fas fuit nova fingere, & transferre vocabula aliunde, quò hostibus veritatis obviam iretur: Sed &, ubi typi conficiendi & in brevem summam vel catechumenorum causa doctrina erat constringenda, ex eodem fundamento, prout temporis ratio & res ipsa postulabat, commodæ adduci potuere formulæ, si modo rectum sensum tenerent. Non tamen vim habebat obligandi eorum explicatio, ut acciperetur absque ullo ulteriore scrutinio, & collatione cum Scriptura S. ab iis, qui illius officii capaces sunt, cum ultima assentiendi ratio non subsistat in auctoritate ministri; sicut nec vox nova & præter Scripturam illi obtrudi potest, cui aliter videtur, salvo Scripturæ sensu. Hinc inter ipsos doctores varie de usu vocum disputatum est, ex eadem nempe facultate, qua quisque pollet.

Quoad Ecclesiam.

§. XXXIII. Ast ubi Ecclesia modos & formulas certas loquendi de vero sensu & doctrina in suam civitatem

recc-

recepit, inque publica ſymbola & confeſſiones intùlit, illi, qui ejus membra eſſe cupiunt, communionis & fraternitatis publicæ teſſeram declinare non poſſunt: tùm quia deus juxta fidem confeſſionem poſtulat, *Rom. X,9. 10.* ut, ſicut cum Eccleſia de vero Deo ſentimus, ita etiam cum eadem confiteamur: tum quia Spiritus S. expreſsè præcepit, ut idem *loquantur in Eccleſia omnes. 1. Cor. I,10.* Idque in eum finem, *ne ſint ſchismata*, ſed *ut ſint integrum corpus eadem mente & eadem ſententia.* Eadem igitur & circa ſenſum & circa formulas & Phraſes, quibus doctrina ſalutaris præſertim in tremendis myſteriis enunciatur, debet eſſe. Hinc etiam *Confeſſores* noſtri in *Præfatione* libri *Concord.* ajunt: *ſe ne latum quidem unquem vel à rebus ipſis vel à phraſibus, quæ in illo habentur, diſcedere velle, ſed juvante Domini ſpiritu, ſumma Concordia conſtanter in pio hac conſenſu perſeveraturos eſſe. Controverſias omnes ad hanc veram normam & declarationem purioris doctrinæ examinaturos.* Et pridem Chriſtianos Imperatores edictis injunxiſſe conſtat, ne vel ſyllaba in doctrina Eccleſiæ orthodoxæ de Trinitate mutaretur, veluti *Evagrius* annotavit de *Juſtino Juniore: lib. V, cap. IV. Hiſtor.* Μηδένα προφασιζόμενον περὶ πρωτοτόκου ἢ συλλαβὰς ζυγομαχεῖν, ὅτι πρὸς μίαν καὶ τὴν ὀρθὴν πίστιν καὶ ἔννοιαν αἱ συλλαβαὶ φέρουσι. Hortatur imperator, *nec quis inanem prætextum arripiens, circa perſonas aut ſyllabas rixetur, aut controverſiam faciat, etiam ad unicam & rectam fidem ac verum ſenſum ſyllabæ pertinent.* Itaque & propter unionis ſeu Communionis Eccleſiaſticæ ſtudium & propter ſchiſmata evitanda,

EXERCITATIO XV, Reſp. M. IOANNE DAVIDE BAIERO IENENSI.

De eodem argumento

quodlibet tenetur, Ecclesiæ membrum, docentes inprimis Ecclesiæ voces & phrases quibus mens & spiritus S. exprimitur retinere; non quod vocem pro voce, phrasin pro phrasi reddere non liceat, si sensus recte retineatur, repugnat enim praxis publica, ubi patet, in ipso verbo Dei allegando, recitando nonnunquam id sine reprehensione fieri: sed quod nemini privato liceat formulam sermonis receptam, mutare vel rejicere, quia id refragatur, unioni, charitati, Juri & Autoritati Ecclesiæ: non tamen conscientiæ ita ligantur, quin, si quid dubii suboriatur, super hoc aut illo verbo, vel phrasi, in via charitatis & decenter, extra periculum scandali & schismatis proponere suique informationem petere possint. Ecclesia enim mater est, non ut tyrannidem exercens, sed dirigens, ordinans, monens, instruens ex verbo Dei & juxta verbum Dei. Membra vero ceu filii matris spiritualis obsequii gloriam tenent, ob potestatem & Jus ecclesiæ concessum, utpote ad quam spectat supremum Judicium de iis, quæ ad Ecclesiæ salutem, mores, ordinem &c. pertinent, quoties dubia incidunt & controversiæ. *Matth. XVIII, 7. 1. Cor. XIV, 32.* Ibi gradatio fit a paucis ad plures, a pluribus ad Ecclesiam. Hic *spirituis Prophetarum* subjiciuntur *probationi aliorum prophetarum*, cum addita ratione ordinis & pacis v. 33.

Concluditur de sententia Theologorum.

XXXIV. Ex iisdem Principiis fluit & illud: quod, etiamsi, quivis Christianus, qui formulas ab ecclesia receptas novit, eisdem ut subscribat, easque adprobet, obligatus sit, ob jus & facultatem, quam Ecclesia in illis habet, ob unionis vinculum, evitanda scandala & schismata, &

peri-

periculum erroris damnantis ; tamen à vinculo illo liber sit quodammodo, si capere nequeat formulam, phrasi autem & vocibus spiritus S. veroque sensui inhæreat. Neque enim obligatio illa oritur ex ratione *Medii* immediatè ad salutem necessarii, sed ex fundamento unionis & concordiæ corporis mystici, ex conservatione puræ doctrinæ, supposita malitia satanæ & ejus instrumentorum, verba sacra detorquentium ex destinatione typi symbolici & similibus, quibus omnibus præferenda salus animæ, quæ ob meram vocem non debet in periculo poni per conscientiæ tormenta. Breviter: obstringitur Christianus ad formulas Ecclesiæ non absolute, sed sub certo ordine, & hypothetice, non sub ratione immediata salutis sed sub aliis respectibus. Et huc respexerunt Theologi supra adducti, dum sincere professi sunt: sufficere in Mysterio Trinit. siquis ad minimum credit, verum Deum esse Patrem, Filium & Spirit. S. de eo nempe loquantur quid absolute necessarium sit, qnid non? uti quædam credenda seu articuli absoluto necessitatis rigore constringuntur quidam non tanto gradu sunt nccessarii.

Hunnius speciatim explicatus

XXXV. In hunc fere modum interpretanda illa Nicolai Hunnii: Es ist einem Christen billig frey zu stellen/ob er wolle diese Art zu reden: In dem einigen Göttl. Wesen sind drey Personen. Item: der einige GOtt ist in Personen Dreyfaltig/ oder allein einfältig dabey bleibē/ der einige wahre GOtt ist der Vater/ Sohn und H. Geist. Loquitur non de omnimoda libertate, sed conscientiæ jugum excludentis humanarum constitutionum sub ratione salutis conscientiæ obtrusarum. Sic & in altero

loco, ubi ait: Dieweil diese Art zu reden / von der H. Dreyfaltigkeit oder von denen dreyen Personen in Gott in der Heil. Schrifft nicht zu finden ist / sondern man hat sie in den alten Kirchen zu Wiederlegung Arii und anderer Ketzer gebrauchen müssen; ist niemand daran gebunden daß er eben dieselbe gebrauche und sich selber peinige. &c. loquitur de vinculo illo absolutæ necessitatis & respectu simplicium, id quod facile patet ex instituto libri, de quo sub initio: Es ist nöthig / daß einfältigen Christen die lautere Milch des Göttl. Wortes / aufs allerschlechteste fürgegebē werde. & seqq. Aufs kürtzeste und einfältigste. Rursus loquitur de casu tentationis: Wann entweder bey gesunden Tagen oder zur Zeit des Abschieds von dieser Welt ein Christ mit allerley Versuchung und Zweiffel angegriffen wird. Item de casu quo personæ vocem capere recto Ecclesiæ sensu non potest. Es ist niemand daran gebunden / daß er eben dieselbe Wort gebrauche / und sich lang peinige / quibus certe non obstat, quod beatus Theolog, cum antiquis symbolis & *Augustana confessione* profitetur: Ecclesiæ docent: *VERVM ET SINE VLLA dubitatione CREDENDVM ESSE: videlicet quod sit una essentia divina & tamen tres personæ.* Art. I. Hic ratione *subjecti* sermo est de Christiano informando & informato plenius de hoc mysterio, qui solidum cibum capere potest, ibi *Hunnio* de Christiano simplice vel infirmo. Ratione *status* Augustana Confessio loquitur de statu confessionis necessariæ: *Hunnius* de statu tentationis. Ratione *necessitatis*, Confessio loquitur de necessitate secuundum quid, Hunnius de necessitate absoluta, quam negat. §.

§. XXXVI. Illa vero: Es iſt niemand gebunden/ daß er ſich ſelber peinige/ wie er das Wort Perſon eigentlich verſtehen ſoll/ non ſine tatione poſita ſunt. Nam ſine dubio reſpexit difficultates illas & varias diſputationes, quibus implicantur, qui terminum: *perſona* explicare, certoque & determinato ſenſui includere ſunt aggreſſi. Quot enim quæſo ſententiæ, limitationes, expoſitiones, correctiones in medium ſunt productæ, donec ad illam definitionis formam redactus eſt, in qua nunc admittunt Theologi, quamquam ne ſic quidem *æquivocationibus* & *ſophiſticationibus* exemptus ſit, ut patet ex *Sociniano-rum* exceptionibus. Non tamen id eò accipiendum, quaſi de ſenſu ſcripturæ hæſitarent, qui ratione termini ancipites erant, cum commodam duntaxat applicationem ad ſenſum ſcripturæ quærerent in voce, ſenſum ſpiritus S. tenentes, non myſterii plenitudinem exhibituri, ſed occaſionem cavillandi ſententiam divinam præcluſuri: Vel, ut *Auguſtinus* ſcribit: *Dictum eſt: tres perſonæ, non ut illud diceretur, ſed ne taceretur omnino: non enim rei ineffabilis eminentia hoc vocabulo explicari valet* lib. V. de Trinit. Interim Chriſtianus non obligatur, ſub voce, cujus conceptum non capit, fidem Trinitatis adſtringere, ſi rectum ſenſum retineat, ſed neque neceſſe eſt, ut, qui verum Deum credit aut profitetur ſub formula trium perſonarum, ſciat adcuratè, quid perſona ſit, quis ejus conceptus quidditativus: ſufficit, ſi novit, quo ſenſu in eccleſia adhibeatur, & quod ſenſus ille ſcripturæ conveniat, reliquum quod eſt, ad externam ſpectat diſciplinam ubi de termino: *perſona* agitur, o-

de termino perſona.

mnisque disputatio ad quæstionem vocabulariam delabitur, quomodo terminus adcuratè sumatur? super quo se torquere neque simplicitatis Christianæ neque necessitatis & salutis est, nisi *per accidens* propter interventum astutiæ hostium.

Discrimen Socinian. & orthodoxor. & Num terminus persona bonum sensum habere queat. Antitrinitariorum rationes.

§. XXVVII. Hæc quam longissime distincta sunt ab hypothesibus *Socinianorum*, non debuerant utique adduci in suffragium & harmoniam cum *Socinianis*, cum quibus vero principaliter uti nec cum *Arianis* olim, non de verbis & terminis, sed de re ipsa, & doctrina salutari Controversia est, uti hactenus patuit e disputationibus, cum Ipsis institutis. Jam cum ulterius progrediantur *Antitrinitarii*, nec terminum tantum personæ ob id rejiciant, quod illam quam profitemur de patre filio & Spiritu S. doctrinam, explicet, sed &, quod non possit non plures Deos menti insinuare, & adeo Idololatriam introducere; operæ pretium videtur, illum notasse prætextum, uti *Arnoldus* è *Serveto* vel potius relatione de ipso exhibet 1.) diejenigen welche drey selbständige Personen oder Wesen in der Gottheit statuiren / bilden uns drey von Natur gleiche Götter ein / denn sie stellen uns drey selbständige und von einander unterschiedene vor / und wollen / daß ieglicher dieser hypothesis oder Wesen ein GOtt sey. Daher machen sie drey unterschiedliche Götter. 2.) Wenn nun diese hypotheses re & numero differentes von GOtt allein sonderlich gesagt werden: Folgt nothwendig: *tot esse prædicata, quod subjecta*, und nach der Zahl der Personen werde auch die Zahl der Götter vermehret. 3.) Ob sie wohl in Worten / das unß von einem

nem GOtt sagen/ so bilden sie uns doch in der That selbst drey Götter ein. 4.) Denn es ist kein Verstand so scharf und lauter/ welche nicht sehen daß ihm dreyerley fürgestellet werde. 5.) Es hat noch niemand einmahl sagen und lehren können/ wie man diese drey/ deren iegliches ein Gott ist/ doch nur als ein GOtt numero verstehen möge. 6.) Dahero bleibt im Geist und Verstand/ ein unaufflößlicher Zweifel und Verwirrung/ daß drey eins seyn/ und eins drey. 7.) Dann ob gleich sich der Verstand gantz auf einen GOtt lencket/ und ihm auch einen GOtt im Geist zu ehren vorstelt/ und mit einer gantzen Schärffe auf die Einheit siehet/ so præsentiren sich doch drey unterschiedene Vorwürffe/ und schweben vor den Augen des Gemüths/ deren iedes er vor einen GOtt erkennet/ und daß also in effectu, drey gleiche unterschiedene Götter ihm stets vor Augen schweben/ indem er nun Eins und drey bey sich in grosser Verwirrung überleget/ so kan er doch zu keinem Schluß kommen/ und das ist der Ausgang der Griechischen Dreyheit oder Dreyfaltigkeit. Tota blasphemiarum strues eò redit: Polytheotita & ideo Idolotrim inferre tres personas divinas: *tum* quòd *TRES SVBSISTENTES DISTINCTI* insinuentur, quorum quilibet Deus sit, tres ergo Deos esse. *tum* quòd, ubi *TRIA RE ET NVMERO* distincta ponantur subjecta, etiam tria prædicata sint ponenda, dicendum que: tres esse Deos: tum, quod ne quidem acerrimus *INTELLECTVS COMPREHENDERE* queat, vel ullus unquam explicare potuerit: quomodo tres, quorum quilibet Deus est, non sint tres Dii: *tum* denique: quod *TRIA* menti proponantur *OBIECTA*,

quo-

quorum quodlibet dicatur Deus: non posse ergo non etiam eum, qui unum profitetur Deum, ad tres reflectere Deos. Verum enimvero: licet Responsiones, ad hæc pridem sufficientes prodiderunt Theologi, tamen vel in summa brevitate nervurs illarum repeti debuisset, ut officium saltim sinceri Historici, cui & altera pars dissentientium pruducenda erat, impleretur.

Responsiones ad illas. 1.

§. XXXVIII. Nam I. quis non animadvertit, illa non tam Confessoribus S. S. Trinitatis, quam ipsi Spiritus S. objici. Is enim est qui Nobis in scriptura proponit Deum ut *unum essentiâ & trinum personis*; neque est quod quis contra tot tantasque demonstrationes locum ut suppositititium porro urgere velit: *1. Joh. V, 7.* Rursus, ut *Patrem*, qui generat, ut *Filium* qui genitus est, & ut *Spiritum S.* qui neque gignit, neque gignitur, sed procedit *Joh. XV, 26. Ps. II, 7. Hebr. I, 5.* quis non eadem ratione hic cavillari poterit cum *Serveto*: innui tres subsistentes distinctos, Patrem filium & Spiritum S. illum generantem istum genitum, hunc procedentem, non ergo unum sed tres Deos esse, quemlibet enim horum esse deum? tria proponi subjecta E. & tria prædicata, tres Deos numerandos esse. Nam in terminis terminantibus memorantur tres, & quidem tanquam subsistentes distincti, & dicuntur tamen non tres dii, sed unum. Num Idola tradit Spiritus S. num vel sagacissimus & ingeniosissimus quivis non nisi tres deos ibi concipere potest? II. Falsissimum, quod juxta numerum personarum deorum numerus constituatur, aliud monstrat Spiritus S. ad cujus mentem unice respiciendum est, Is enim numerat tres Personas in Patre,

Filio

stehet dennoch in der Schrifft / von dem göttlichen Wesen / *Ebr. I, 3.* nimirum de essentia, sed personali charactere determinata, qua de re videndus B. *Sebast. Schmidius* ad h. l. cum quo verò conferendi & alii Theologi gravissimi, inprimis in hoc argumento *Chemnitius* LL & *Menzerus* Disp. Giss. Tom. III. Disp. IV. facile conciliandi cum priore. Quod verò addit: Ich bescheide mich deßfalls gantz / daß ich damalß / als ich dieses geschrieben / die unlautere grobe / sinnliche und recht schmähliche concepten offt bedauret gehabt / welche man insgemein von der grosen Herrlichkeit deß dreyeinigen Gottes hat / wie ich an diesem Ort und sonst auch angezeiget / gravis querela est de novo, quæ nisi emolliatur, hunc sensum habebit: *obscuros rudes, carnales & injuriosos conceptus in Majestatem Trinitatis formari communiter.* Ast quinam sunt illi conceptus, qui ita communiter formantur? num vel Symbola & Confessiones tales produnt, vel Scholæ catecheticæ, vel pastorum ignorantia & præconceptus error, vel simplicium ab illorum disciplina dependentium aberratio? adeoque num Ecclesia Doctrinâ sua publica, ejusque Doctores, & membra Ecclesiæ alumni disciplinæ Lutheranæ potissimam partem imò *communiter rudes obscuros, carnales, injuriosos in Deum* conceptus fovent, imò *idololatricos?* uti ait I, 1, 5, 8. Hist. Eccl. quos Christianis ceu corruptis post priora illa secula tribuit: **sie hatten keinen unlautern oder gar abgöttischen Begriff von dem göttlichen Wesen.** Sed unde ille conceptus idololatricus? ex traditionibus huma-

ubi

nova ejus querela de injuriosis in Deum concepti-bus indaga-tur

speciatim

(1) *ut idololatricis*

(2) *ex tradi-*

tionibus humanis provenientibus

humanis secutis: als man aus den Menschen Satzungen anfing zu reden ex introductis terminis: Dreyfaltigkeit Person/ Selbständigkeit ὁμοούσιος und dergleichen/ item: da die Lehrer nicht wusten / wie sie mit ihrer Vernunfft und einem hauffen philosophischen Einfällen und Kunstwörtlein die Gottheit ausmessen/beschreiben/ und andern ihnen nach zusprechen gnug zwingen wolten. l. c. Id à Scholasticis, vanis & intricatis disputationibus factum esse nemo dubitat, cum quibus verò innocentes Mysterii expressiones ab hostibus veritatis extortæ non confundi debent: nec pia Symbola & Confessiones, quæ immeritò ad Traditiones humanas & *inventa coactiva* detrudun-

(3) *quibus opponitur typus primitivæ Ecclesiæ ab Authore excerptus*

tur. Subsistendum nimirum fuerat juxta Authorem in primo illo Ecclesiæ primitivæ typo, quem excerpsit, ohne die hernach erfundene Wörter oder einschrencke Redens-Arten. Huic demum se addictum profitetur: Ich bekenne mich inzwischen mit Mund und Hertzen beständig und ohn außnahm oder arge List zu der wahren Catholischen Lehr der Christlichen Kirchen / NB. wie solche in den ältsten Bekäntnussen/hierin außgedruckt/und in dem 5. cap. des 11. P. der Kirchen Histori d. 9. außgedruckt ist. *Emendat.* pag. 5.

Typus doctrinæ de Deo, cui Arnoldus adstipulatur

§. XL. Jam si quæres, quisnam ille primorum seculorum typus sit, cui & ipse inhæreat, & alii inhærere debeant; provocat Author ad cap. V. lib. II. §. 9. 10. Typus autem ille quem loco *cit.* exhibet, è primis seculis. 1. vel convenit cum Scriptura ejusque sen-

sensu, vel minus: si prius, cur succenset Author toties terminis, *coessentialitatem* trium personarum, ipsasque personas realiter distinctas signantibus? queis tamen neque antiqua Ecclésia neque hodierna alium sensum intendit, quam quem spirat scriptura: aut si diversum & contrarium innúunt; debebat id sine ambagibus ostendi & demonstrari. 2. non obstante typo illo doctrinæ extructo, tamen addit l. c. §. 12. ei non adversari, quod tum temporis, seculo nimirum secundo securè dixerint: *Jesum esse sapientiam creatam, de hac voce postea magnam exortam esse litem. Aliquos statuisse*, Christum non *esse distinctam à Patre personam ab aterno: prorsus, quemadmodum Christus & Spiritus S. qui per Prophetas locutus est, pro uno reputantur.* Hæc & similia adprobat, tanquam specimina primævæ simplicitatis & libertatis, ubi nondum symbolis & confessionibus fuerint adstricti. Idem l. c. scribit: has *Expressiones & descriptiones* mysteriorum magis proprias, animique commentatione dignas esse, quam eas, quæ postea secutæ sunt, ubi tantum verbis inhærere coeptum est. Verum enim verò, sic per Authorem 1. in gravissimis Fidei mysteriis, quale est mysterium Trinitatis, licebit esse liberum in sentiendo & enunciando 2. Speciatim Jesum Christum esse *creatum ab initio*, item *ab æterno non esse distinctam personam* à Patre, *sicut nec Christum & Spiritum S.* æque sentire & profiteri fas erit, quàm quod aliâs docebant veteres: esse Filium Dei, ab æterno genitum, alium à Patre, alium à Spiritu S. hos tres, alios & alios, tamen unum esse Deum: atque sic con-

de typis primorum seculorum hypotheses Arnoldi

1.

2.

3.

4.

Annotationes

1.

2.

 traria

traria ſibi & adverſa, vel ſaltim perplexa credere & intricata. 3. hoc conſultius eſſe, ait quàm certis vocabulis & terminis ſenſum determinare, ſymbolis & confeſſionibus adſtringere, quod ſimplicitati & libertati Chriſtianæ adverſetur. Hinc emergit ſtatus controverſiæ inter *Arnoldum* & Noſtrates: *Num conſultius Eccleſiæ, & cujuslibet conſcientiæ convenientius ſit: liberum cuivis Chriſtiano permittere ſenſum & ſermonem, de myſterio Trinitatis, conſequenter & aliis, prout nempe è ſacra percipiunt aut percipere poſſunt, quilibet legentes vel audientes: An verò rectius & ſaluti hominum accommodatius, certo & determinato Spiritus S. ſenſui ſe adſtringere, eumque vocabulis certis vel ex uſu vulgari vel aliunde deſumptis inſinuatum dare coetui, ad concordiam eccleſiaſticam in veritate ſalutari conſervandam præſervandamque adverſus turbatores?* ubi facile patet, quò res in fundo ſuo conſiderata tendat, nimirum ex una parte in merum in *Religione Indifferentismum*, qui eſt fluctuatio in rebus fidei & ſalutis, ignorantia veri Dei, contemptus ſcripturæ ceu verbi divini: ianua proxima ad eliminandum conceptum de vero Deo è conſortio generis humani, confuſio ſocietatum, pernicies Rerump. uno verbo mutatio hominis in beſtiam: ex altera autem parte, ſi à recto tramite aberretur, deflectetur ad ſervitutem libertati Chriſtianæ adverſam: qua poſita ſervitute ſub jugum Judaicum reducuntur Chriſtiani: ſic inutilis factus eſt Chriſtus. Dico: Si à recto tramite aberretur. Id eſt, ſi Sanctiſſimum & innocentiſſimum, retinendi Religio-

3. ubi

Controverſiæ ſtatus inter Arnoldum & Noſtrates

4. Momentum ejus

nem

nem ſeu verum de Deo ſenſum, cumque illo unitatem in Spiritu tuendi propoſitum transmutetur in vincula conſcientiarum & in tyrannidem, quemadmodum ſacra Pontificia eò delapſa eſſe conſtat per Pontificia decreta & humanas traditiones. Quò verò nullo prorſus fundamento illa adſtrictio ad certas loquendi de myſteriis phraſes & formulas per ſymbola & confeſſiones referri poteſt.

§. XLI. Id quod præter ea, quæ ſupra ſunt allata, facile demonſtratur: Nam ſine quo ſocietas Eccleſiaſtica cohoerens prædicatione ſacræ doctrinæ & legitima diſpenſatione ſacramentorum conſiſtere & durare, inter ſatanæ artes & aſſultus hoſtiumque veritatis machinationes non poteſt, ſine ſummo periculo & damno, illud ceu medium adhibitum ad vincula conſcientiarum tyrannica referri non poteſt. A. ſine ſenſus certi & determinati in SS. incluſione & cuſtodia per commoda in illum finem vocabula ſocietas Eccleſiaſtica ſubſiſtere & inter callidos adverſarios durare non poteſt, ſine ſummo periculo & damno. E. *Maj. prob.* quia non tantum licitum, ſed & præceptum eſt à Domino, reſiſtere Satanæ, cavere ſibi à Pſeudoprophetis &c. *Minor:* pone enim: non haberi certum & determinatum ſcripturæ ſenſum, ſaltim quoad credenda & myſteria, nec adverſus heterodoxos verba Sp. Sancti jactantes & tamen verum ſenſum rejicientes, ſtringentibus mediis, qualia certa vocabula & phraſes, ſenſum geninum retineri, includi, cuſtodiri, annon apertiſſimum eſt periculum, ne mendacia ſub ſpecie veritatis intru-

S. Arg. pro Eccleſiæ ſententia

intrudantur in Ecclesiam? Annon metuendum, ne veritas cum errore sub uno involucro latens diaboli astu obscuretur, deleatur superante errore? num unum sentire, unum loqui possunt, 1. *Cor.* I, 10. quibus liberum est sub verbis scripturæ diversos & varios sensus fovere? *Dicas*: non opus esse illa determinatione & custodia: abundare posse quemlibet suo sensu. Ast ita Scriptura etiam in principalibus capitibus in ludibrium vertitur, relinquens suam cuilibet sententiam, contrariam quoque: eritque involucrum pugnantium hypothesium; ludus Religionis pro specie indutus, delebitur conceptus de Deo vero & Idolum ejus loco ponetur. Simili ratione, nisi *Symbolorum* ordinatione licentia ingeniorum compescatur & veluti sacri termini adversus Corruptores ponantur inter tot errores & hypotheses, ut Margarita fidei salutaris pura maneat & inconcussa: neque de consensu & unione constabit in mente Domini, inter populum Dei, neque de populo Dei mente Domini unito. Imò, ut dicam quod sentio: nihil absurdius unquam Legique Dei immutabili magis adversum fuisse, quam in summis cultûs Dei & Religionis Articulis, nullum *certum*, *firmum*, *determinatum* & *specificum* ac formalem habere sensum, sed *simplicitatis* & *libertatis* titulo syrma variarum & contrariarum cogitationum de Deo & rebus divinis introducere.

Exceptio elidiur

Arg. è lumine NB. Naturæ & lege Dei æterna

§. XLII. Neque quicquam juxta phantasiam Authoris instructi typi veteris Ecclesiæ in speciem valent: nam (1) si pauci illi ex orbe Christiano, è quibus typos

Alia exceptio elidiur rationibus

doctrinæ

doctrinæ compilavit, à ſenſu ſcripturæ aberrarunt; num propterea errores ipſorum typo ſcripturæ infallibili fuerant miſcendi? num typi illi regula eſſe debent & norma, juxta quam doctrina æſtimetur, ut verba, & phraſes illis non convenientes judicentur *vincula, ſervitus, inventa ſcholaſtica &c.?* Atqui docet Res ipſa, poſt Apoſtolos divinitus inſpiratos, inter doctrinam illam Apoſtolicam incorruptam à ſummis viris & doctoribus ac confeſſoribus inſperſum eſſe fermentum falſæ doctrinæ & traditionum, & inconvenientium rebus divinis phraſium, etiam è gentilismo deſumptarum, quales ipſe Author ex *Ignatio* aliisque exhibet, ſed ad *indifferentismum* deſtinat: quid verò dicemus de ſequentibus: Juſtino Martyre, Clemente Alexandrino, Origene & aliis, num illorum errores nobis typum doctrinæ dabunt? non erunt confundenda quæ viri optimi & pii (2) perceperant tanquam Apoſtolicam doctrinam, & quæ de ſuo vel explicationis cauſa vel ut opinionem addiderunt, illa prioris generis à *priori* æſtimantur ex ipſa S. Sacra, à *poſteriori* vero à ſequentibus proximè ſeculis & communi conſenſu circa quædam capita: ubi concluditur à poſteriori & tanquam à teſtimonio: Quæ doctrina primis quinque ſeculis communi conſenſu fuit propoſita, illa admittitur, ceu doctrina Apoſtolica: Sed quòd ad hujus vel illius ſeculi doctorum typos inſtruenda ſit doctrina ſalutaris & modi loquendi, unde probabitur? (3) Se- (3)
paranda erant obſcuriora à luculentis, nec in typum tanquam normam referenda, quæ clarius alibi à doctoribus poſita intricant & perplexa reddunt, quod non

(4) factum eſt ab Authore: Unde meliores & exquiſitiores typos reperias apud Theologos noſtros, qui nimirum hypotheſi *Indifferentiſmi* non præoccupati fuêre, ſed ſcripturæ luce colluſtrati, juxta quam typos Patrum collegerunt & nævos & errores ſeparatim annotarunt: ne dicam de aljis. Sic enim demum rectè concludo: Quem typum doctores primitivæ Eccleſiæ Scripturæ convenienter extraxerunt: ille poteſt exemplum eſſe juxta quod Eccleſia recentior ſuorum doctrinam inſtruat. At typum illum ab *Arnoldo* extructum eſſe talem, non probabitur.

EXERCITATIO XVI. De Notitiis inſitis ubi Collatio hypotheſium Lockii & Poireti cum ſcriptura inſtituitur. Reſpond. M. IOH. FRID. WUCHERER.

§. XLIII. Numen exiſtere, unde nempe omnia dependeant, ſuamque habeant eſſentiam, An & quomodo quam luculentiſimè naturæ lumine doceri queat atque demonſtrari; pridem diſputatum eſt, haud ſine fructu. Sive enim Atheorum temerariis officiis occurrendum ſit, ſive tentati erigendi, & confirmandi, ſive denique Argumenta in SS. indicata ad concludendi nervos reducenda: pia & utilis eſt omninò conſideratio. Mirandum verò, tanta ſententiarum divortia ſuper illius veritatis certitudine è lumine Naturæ ſuboriri potuiſſe, & quidem ita ut, cum ex una parte aliqui de idonea & firma è lumine Naturæ probatione deſperent, neque ſemetipſos, ſuasque vires ſatis explorantes, neque Scripturæ teſtimonia debito ordine tractantes. Alii ex aduerſo nimium ſuis tribuunt rationibus, putantes, mente illos carere, qui methodo Ipſorum ſubſcribere gravantur, neque eandem, quam iſti jactant, probationum certitudinem deprehendunt. Neque tamen Deum Ipſum

De exiſtentia Dei naturæ viribus indaganda diverſæ ſententiæ & unde.

ſui

ſui Notitiam hominibus invidere quis putarit, cum Scriptura clarè doceat, de imbecillitate virium naturalium poſt lapſum, cui accedit præjudiciorum vis, qua ea quæ evidentia ſunt, obſcurantur, vel in diverſas partes trahuntur.

Sociniano-rum, philoſopho-rum & Theologo-rum varia Diſpp.

§. XLIV. Quid *Sociniani* de notitiis naturalibus ſtatuant, Theologi in controverſiis cum Ipſis abunde annotarunt. Eòusque nimirum aliqui progreſſi ſunt, ut prorſus negarent omnes notitias naturales, *inſitas*, & *adquiſitas*. Alii verò *adquiſitas* admittunt. Quæ inter Philoſophos & Theologos circa modum præſertim & rationem notitiarum inſitarum diſputata ſunt, in vulgus notum eſt. Sive enim in *logicis* de Mentis operationibus conſideratio inſtituatur, ſive in *phyſica* ſpeculatione de homine, ejusque Anima & viribus ac facultatibus, ſive in *moralibus* de Lege Naturæ & conſcientia agatur, ſive etiam in Theologia naturali & Revelata de Deo Ejusque cognitione tractatio ſuſcipiatur: argumentum iſthoc explicandum venit, ſuo modo, vel ratione fundamentorum ac principiorum, quæ in illo uſurpari ſolent, & adplicari, vel ratione rei ipſius quoque. Inter Philoſophos magnum opus aggreſſus *Renatus des Cartes*, ſcientiarum nova principia poſuit, eo tamen inſtituto, eaque methodo, ut priſcam *Pyrrhoniorum* & *Academicorum* viam rationesque repeteret, non verò ut veritatem, ejusque certitudinem in lubrico poneret vel convelleret, ut videtur, quemadmodum illi; ſed ut inquireret, & ſolidioribus fundamentis ſuperſtrueret. Qua occaſione præſens Argumentum de *Exiſtentia Dei* explica-

plicavit ex professo in *Meditationibus*, *tertia* nempe illarum: Sed adversarios mox nactus per Belgium, Germaniam, Helvetiam, Galliam Britanniam Viros magnos, imo integras Synodos quæ Cartesianæ Philosophiæ se opposuerunt. Fuerunt ex altera parte, qui Cartesio suffragati sunt, vel cum temperamento accesserunt. Hinc ex utraque parte acutissimorum ingeniorum monimenta prodiere: tum pro ideali illa cognitione seu per ideam Dei Menti humanæ connatam, tum contra illam, vel è Scripturæ S. fontibus, & analogia Fidei, vel ex rationibus physicis, & reipsa petitis, quemadmodum autem fieri solet aliâs, ut, dum una sententia confutanda suscipitur severius, in aliam isti quidem adversam descendatur, sed ita, ut ulterius, qnam par est, procedendo, declinetur à Veritate; ita nonnulli Ideæ Cartesianæ infensi, tutioreque via scepticismo obviam ituri Veritatisque cognoscendæ fundamenta solidiora posituri, haud conveniunt prorsus cum scripturæ sacræ Veritate: Negantes quippe, *ulla principia Animis humanis esse ingenita, ita ut ex opposito, asserant: Homines sola naturalium facultatum ope sine notionum quarumvis impressarum adminiculo, certam rerum cognitionem assequi posse: non dari notitiam naturalem innatam seu impressam de Deo, Facultatem cognoscendi innatam esse, cognitionem acquisitam: innatam, impressam nullam esse, ne quidem cujus beneficio homo cognitis terminis sine discursu statim assentiri queat &c.*

§. XLV. Rursus ex adversa parte, qui *Ideam* Dei mentibus humanis impressam cum *Renato* asseruerunt, reli-

reliquamque ejus methodum indagandi Veritatem adprobarunt, eòusque proceſſerunt, ut certitudinem illius demonſtrationis è lumine Naturæ certitudini ſcripturæ æquipararent, aſſerentes, *haud ullam viam humano ingenio patere, per quam meliores inveniri poſſint demonſtrationes.* Alii verò demonſtrationes *Carteſianas* qûidem adprobant, *bonas*, & ſubinde & *admirandas* vocant, aſt methodum hinc inde carpunt monentque ulterius procedendum eſſe ad talem certitudinem, *ubi immediatè ſentiatur è lumine Dei vivo puro, vivido, penetrante, afficiente animam, Deum exiſtere: quod ubi fiat lumenque divinum Animam ita penetraverit, veritatiunculas ceteras nequidem inſpicere dignari, quippe quæ tunc ſunt menti veluti bullæ futiles ac nullæ; nomineque veritatis & luminis indignæ.* Facilè patet, quò mens tendat. Sunt enim novisſimè Viri ingenioſi, qui ſuis ſpeculationibus inhærentes nec ſcripturæ lucem attendentes, in nobili hoc Argumento Eidem adverſantur, & notitias connatas partim negant, partim ultra meritum & naturam provehunt.

§. XLVI. *Joannes Lockius* in Cogitatis de *Intellectu humano* Iſta ſuppeditat: *I. Cognoſcere eſt idearum quarumvis connexionem & convenientiam ſive inconvenientiam & repugnantiam percipere.* e. g. qnando ſcimus, album non eſſe nigrum, hoc nihil aliud, quam quod duas haſce ideas haud inter ſe convenire, percipimus: quod exemplum ſubjicit Lib. IV. cap. 1. pag. 234.

II. Idea eſt objectum cogitationis Lib. II, cap. 1. p. 30. quilibet nempe conſcius eſt ſibi, ſe cogitare, illud

autem, circa quod cogitando quis verſatur ſunt ideæ, quæ in mente ſunt: tales ideæ exprimuntur per voces, albedinem, duritiem, cogitationem, hominem &c. l. c. §. 1.

III. Mens autem *omnium idearum*, omnium *characterum expers eſt, inſtar tabulæ raſæ* l. c. §. 2.

IV. Omnes verò Ideæ ſunt ab Experientia, quod explicat: Fons unus, unde experientia ideas in intellectum derivat, eſt *ſenſatio objectorum*; ubi ſenſus circa particularia objecta ſenſibilia verſantes iis mentem ingerunt varias & diſtinctas rerum perceptiones: veluti *flavedinis*, *dulcedinis &c.* aliarumque *qualitatum ſenſibilium*, quæ à ſenſibus in animum intromittuntur, id eſt ab objectis ſenſibilibus adminiculo ſenſuum id introducitur in Animum, quod perceptiones iſtas variarum rerum efficit. Fons alter, Idearum, juxta Ipſum, ſunt *Operationes* animorum, ſeu operationum quæ in mente ſunt, perceptio, quæ operationes, poſtquam animis eas contemplamur; aliud genus idearum ſuppeditant intellectui, in illo numero ſunt perceptio, *cogitatio &c.* hos & alios animorum actus, cum eorum conſcii ſimus, ideas æquè diſtinctas, in intellectum intromittere, & ab his intellectum ideas recipere ait: ſic objecta externa menti ſuppeditant ſenſibilium qualitatum ideas, quæ ſunt variæ iſtæ perceptiones, quas in nobis producunt, & mens operationum ſuarum ideis intellectum inſtruit, II, c. 1. p. 31.

V. Incipiunt Ideæ, quando primum homo habet ſenſationem: neque enim conſtat, ullas in mente eſſe

Ideas,

Ideas, priusquam per tenſationem intromittuntur. Senſatio autem eſt impreſſio aut motio ita in aliqua parte corporis facta, ut perceptionem in mente producat II, 1, v. 23. p. 36.

VI. Perceptio fit cum mens impreſſionem recipit. *VII. Ideæ nihil aliud ſunt, quàm actuales perceptiones in mente: hæ non exiſtunt niſi percipiuntur.* *Perceptionem* ait, ſequi *Retentionem*, *Facultatem diſcernendi* ideas, *comparationem*, *compoſitionem*, *Abſtractionem &c.*

VII. Concludit: *non alium præter hunc ſe poſſe invenire modum perquem rerum Ideæ in intellectum intromittuntur.* Addit rejectionem principiorum congenitorum. *pag. 58.* Illuſtrat rem ſimili, à conclavi, deſumpto, quod à luce penitus ſecluſum, in quo fiſſuræ tantum quædam ſunt exiguæ relictæ, ut viſibilibus imaginibus exrernis, aut quæ extra ſunt rerum ideis aditus per eas pateat.

Hinc *VIII. Nulla principia Animis eſſe ingenita* Lib. I, cap. 2. p. 3. *IX. Nec conſenſum univerſalem id probare*; aliam quippe rationem illius conſenſus dari poſſe. X, *Dei ideam non eſſe innatam, nec ingenitam:* nec propoſitiones ullas innatas eſſe poſſe, quoniam ideæ nullæ ſunt innatæ.

§. XLVII. Summa ſententiæ *Lockianæ*: uti tum ex dictis locis generatim, tum ex aliis hinc inde per opus expreſſis, patet, hæc eſt: Cognitionem in univerſum originem habere ab experientia, tum ab iis quæ extra nos ſunt, & beneficio ſenſuum animo ſiſtuntur, ideis tum ab his, quæ intra Animum ſentimus & percipimus:

primus: Sic omnem cognitionem procedere à singularibus, & progredi ad regulas & axiomata universalia: nulla naturâ insita seu implantata esse, nec speculativa, quale: Impossibile est, idem simul esse & non esse; nec practica, veluti: Honeste vivendum &c. Facultatem naturalem quædam primo intuitu percipere, veluti *identitatem & diversitatum idearum &c.* quæ in idearum perceptione clare possit cognosci; quædam vero illâ intuitivâ mediante, & demonstrativè: nec dari propriè habitualem cognitionem sed tantum *habitualem*, illam esse: quando quis propositionem cognitam ita memoriæ prodidit, ut quamprimum propositio ista animo denuo agitatur, is quod verum est, statim assequatur, & tanquam rei notæ, ei assentiatur. Cognoscere autem propositionem dicitur, qui idearum convenientiam aut repugnantiam clare sensit, ubi non opus sit lumine aliquo interno & perfectione, sed sufficere ipsam Ideæ evidentiam & Facultatem ipsam naturalem. Ita & Deum cognosci descensu ad singularia, hominis nempe existentiam è qua existentia Dei abunde satis demonstretur vid. *Lib. IV, cap. X.* Hæc & alia omnia, quæ in opere memorato tradit, fundari ait in *propria experientia*, quemadmodum & *Poiretus* suam ex illa deducit demonstrationem, sed alia ratione & alio fine.

Collatio cum scriptura ubi (1) necessitas ejus in hoc puncto.

§. XLVIII. Enimverò in tam sancto Argumento, quod Deum concernit, ejusque existentiam, haud immeritò scriptura quoque sacra conferri debet: cum præsertim de viribus humanis post lapsum residuis earumque operationibus, de quibus hic quæritur, haud certò judi-

judicari possit & sufficienter, nisi de prima illarum origine dispiciatur: præterea, cum diversis locis SS. hoc argumentum, de notitiis Dei naturalibus tractetur; parum sanè cogitationibus suis demonstraverit, qui Spiritum S. sibi adversum habuerit: *cujus quippe major est authoritas quam omnis ingenii humani capacitas*, ut loquitur *Augustinus* de C. D. Hic primas naturæ origines revocat ad animum, & ceu profundissimus scrutator cordium intimos recessus exquisite novit, nobisque de illis tantum manifestavit, quantum nobis lucem haud exiguam hic suppeditat. Et, si ostensionem ex originibus primis desideres, ostenduntur ibi fontes: si experimenta; certissima & indubia suppeditat: si demonstrationem di cursum; denuò non deficit. Comparemus istos nervos cum Philosophia *Lockii* & attendamus, quousque illa cum his conveniat, vel cedere illis debeat.

Principia genuina cognitionis naturalis Dei.

§. XLIV. Si ponderemus prima cognitionis naturalis genuina principia; deprehendimus, indice scriptura in homine primum condito *Rectitudinem* Eccle. VII, v. 30. quæ cum de creatura rationali, homine pronuncietur, non potest non rectitudinem in ordine ad legem designare ceu ad normam moralem. Pone enim sine lege, & adeo norma morali fuisse; potuit sane liberrimè de actibus suis disponere nec peccaturus fuisset, quicquid perpetrasset: in quo statu Hominem creari haud conveniens erat Deo sanctissimo. Accedit quod illa rectitudo in N. T. explicatur de *Justitia, Sanctitate & agnitione Dei Eph. IV*, 24. *Col.* III, 8. creavit nem-

(1)

(2)

pe Deus hominem in Agnitione ſui, juſtitia & ſanctitate. Sic humana natura tum cum exiſtere cœpit in primis hominibus, lumen Veri, ſemen Boni rectique, regulam moralem rectitudinis, juſtitiæ Sanctitatis, lumen cognitionis divinæ in ſe habuit, idque ante actuale ſenſuum exercitium, quippe cum ea contreatum homini, permanens, conſtans, nam in juſtitia, in ſanctitate conditus eſt, in agnitione Dei, & ita in Imagine Dei. Homo nimirum præter hoc, quod eſſentiam humanam ſ. naturam intellectumque adeò & voluntatem habuit, ſeu facultatem cognoſcendi & volendi, normâ legis, Dei legislatoris notitiâ & promptitudine ac inclinatione componendi ſe juxta ejus voluntatem imbutus fuit. Si meras facultates naturales cognoſcendi, volendi, haud determinate ad Deum, quem agnoſceret, cuique ſe ſubjiceret, accepit; quomodo in notitia in juſtitia in ſanctitate conditus eſt? Num in notitia in agnitione Dei, in imagine Dei eſt, qui ſine luce interna de Deo, ſine regula Dei eſt, quique nihil præter facultates naturales actu habet? Ergo præter iſtas, præterque vim naturalem intromittendi ſpecies ab objectis externis ad animum & ita concludendi ad Deum, ad normam vitæque regulam, beneficio idearum ab extra acquiſitarum, aliud quid in homine fuit, quod fundaret iſtas denominationes, *in agnitione Dei, in juſtitia in ſanctitate creatum eſſe.* Qui præter facultates illas naturales actu exiſtentes regulam normam veri bonique nancisci poteſt, nondum actu habet, ſanctus, juſtus fieri poteſt, cognitionem Dei adquirere poteſt nondum eſt

juſtus

justus & sanctus, nondum in cognitione Dei est. Homo beneficio facultatum naturalium accedente studio disciplina comparare potest eruditionem & varias aliàs qualitates, nemo tamen ipsum propterea eruditum dixerit, nisi etiam rudiorem quemvis eruditum dicere velis. Si nulla est determinatio mentis ad notitiam Dei, & inclinatio voluntatis ad componendum actus suos juxta Normam Dei, deest omne fundamentum denominationis illius: in imagine Dei esse, in justitia in sanctitate in cognitione Dei esse.

Concluditur ex sup. principiis.

§. L. Hæc cum principia cognitionis Dei fuerint in homine primum condito, Habitus nempe concreatus inclinans facilitans ad immediatè eliciendos actus cognoscendi Deum; ista certè cognoscendi ratio maximè naturalis fuit, quippe cum natura primum instituta cœpit, propaganda: quæ proinde per illam alteram per species ab externis objectis illaras non excludi aut negari debet. Licet verò Imago Dei fuerit amissa: ipsa tamen Regula illa homini concreata, lux intellectûs in ordine ad Deum non necessariò prorsus deperdita fuit.

lucem primævam cognitionis Dei non esse per lapsum extinctam prorsus.

§. LI. Et sanè non omnino illam primi hominis lucem, & habitualem notitiam Dei per lapsum extinctam, sed ejus partem aut reliquias veluti in posteros propagatas esse gravissimis argumentis constat: Nam Paulus Apostolus *Rom. I, 19.* evicturus, omnes gentes, etiam quæ Revelatione peculiari divinâ destitutæ sunt, reas esse damnationis: argumentum inter alia desumit ex eo, quòd τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ in ipsis sit manifestum, cum tamen Deum non glorificent: non ait: inter gentes, sed

in illis, corde nimirum seu Animis earum, id quod illustrat ab effectu, qui est: *invisibilia Dei per opera ejus ex creatione perspecta habere &c.* Nempe non tantum intime in animis eorum illud θεοῦ γνῶσις hæret, sed exterius etiam se prodit: ait enim, Deum id manifestum fecisse in illis, & addit effectu, perspicientiam invisibilium Dei, veluti divinitatis & potentiæ è creaturis, unde lumen aliquod in gentibus esse oportet, cujus beneficio propellitur mens ad illa Dei invisibilia cognoscenda mediantibus creaturis. Si nullum habituale lumen perficiens intellectum & determinans, ad Deum ejusque existentiæ notitiam in mentibus illarum est, sed exterius duntaxat inspectione creaturarum indeque facto discursu illa colligitur, facultate ratiocinandi; jam non manifestum est γνωστὸν illud in gentibus, sed exterius seu objectivè tantum, seu in objecto, indeque traducitur in intellectum, qui recipit objecti ideam indeque conficit alias ideas. Necesse est igitur, ut præter facultatem percipiendi & colligendi aliquod perficiens, habituale, constans, in facultate illa sit, quo velut lumine quodam existentia Dei immediate, non mediatè tantum intervenientibus creaturis & discursu cognosci possit. Alii de hoc loco aliter sentiunt. Nos hic cum Gerhardo, Musæo aliisque Theologis.

(2) *Alia argg.* §. LII. Accedit, quod gentes dicantur κατέχειν detinere veritatem in injustitia: ergo veritatem illam intus possident. Quod intus possidetur & detinetur, ne in actum se exerat, quod intra gentes, est in cordibus, in animis ipsarum, manifestum faciente Deo cum

(1)

ipſa natura hominis & in illa, nemine excluſo, id non ab extrinſeco hauritur demum, perque discurſum introducitur. Adde argumentum è lege Naturæ deſumptum (3)
Rom. II, 14. 15. Gentes, *quæ legem non habent, naturæ ea, quæ legis ſunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ſibi ipſis ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Qui ea quæ legis ſunt, naturâ faciunt, eis legem ineſſe oportet. Ubi autem legis naturalis obſervatio, ibi & legislatoris cognitio. Qui φύσει operatur, principium naturale operandi habet: quæ prævia inſtitutione aſſuetudine diſciplinâ externa & habitu quodam acquiſito ſuſcipiuntur, non naturâ prorſus peraguntur. Junge vim conſcientiæ *Teſtatur enim conſcientia* l. c. Hæc vis conſcientiæ ſe prodit ſæpe ante omnem (4)
diſciplinam, cultum, ſtudium indagandi &c. Qui naturâ legem novit, is naturâ aliquam de Deo notitiam habet. Adde iſtud à *legis Inſcriptione* v. 15. *Opus legis inſcriptum eſt cordibus ipſorum.* Ubi argumentantur Theologi. Qui cordi legem habent legem inſcriptam deſtituti lege per externam promulgationem, illis intrinſecè lex eſt, naturæ nempe adeoque & notitiæ legislatoris, discrimen honeſtorum & turpium. Neque poteſt inſcriptio ſpiritualis intelligi per regenerationem: de qua h. l. ſermo non eſt.

§. LIII. Ex his adverſus hypotheſes *Lockianas* argumentamur: Si inde à prima creatione humana natura in ſe habuit concreatum lumen de Deo ejusque exiſtentia, quod lumen, quæ perfectio in illa ſuo modo ita manſit, ut etiam poſt lapſum τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ di- *Concluditur adverſus Lockium.*

catur manifestum in omnibus hominibus, lex Dei inscripta cordibus, conscientia testari de lege. adeoque & legislatore, gentesque opus legis naturà faciant; sequitur omninò *primò*: Mentem humanam non prorsus esse instar tabulæ rasæ juxta *positionem III.* supra: nam quod inscriptum aliquid habet, illud non est instar tabulæ rasæ sed signatæ, inscriptæ: si lumen est in humano intellectu habituale, perficiens, promptum reddens ad eliciendam agnitionem Dei; si natura, conscientia gentilium, promulgatione legis destituta habet sensum Dei, sensum legislatoris, si τὸ γνωστὸν Dei manifestum est in illis, quomodo tabula mentis naturaliter vacua est & inanis ab omni notitia Dei. Sequitur *secundò*: non omnem cognitionem Dei hauriri mediante sensuali perceptione, nec descensu ad singularia, percipiendo primum mediantibus sensibus ideas singularium, & progrediendo demum ad Regulas & axiomata. Nam si lex naturæ inscripta cordibus, si natura opus legis faciunt, urgente conscientia, non demum discrimen honesti & turpis adquiritur exercitio sensuum ideas ab objectis externis in mentem intromittentium, sed per se immediate absque illa collectione & discursu jam inest Menti: adeoque falsum, nulla principia suo modo esse connata, ingenita quod ait. *Tertiò* sequitur: falsum esse, intellectum esse similem conclavi ab omni penitus luce seclusum: nam si in notitiæ luce conditus est, quam non omnem amisit, sed adhuc quodammodo possidet: si mens manifestum γνωστὸν in se habet Dei; si lex Naturæ inscripta se exerit, faciendo opus legis, testimo-

monio conſcientiæ accedente; quomodo conclave mentis a luce ſecluſum, quomodo non alia luce fruitur niſi *adventitiâ*, exterius per fiſſuras ideas ceu lucem recipiendo: lux interna & naturalis connata eſt non adventitia, fiſſuræ non tantum in conclavi ſunt lucem exterius recipientas, ſed radii lucis primæ inexiſtentes. Sequitur *quartò*: non hanc eſſe habitualem cognitionem propriè: ſi quis propoſitionem cogniram memoriæ prodit, cui deinde tanquam rei jam notæ aſſentiatur. Nam in facultate ipſa naturali cognoſcendi eſt *ſuperadditum* aliquid, nempe notitia illa naturalis Dei, *quæ eſt facilitans & promptum* reddens aliquo modo ad adprehendendum Deum: eſt profundè hærens & difficulter mobilis.

§. LIV. *Excipias*, cum *Lockio*: experientiam propriam docere, non aliam cognitionem, aliam notitiam dari, quam illam, quæ à ſenſibus orditur: nullam verò eſſe ab *habituali* aliqua connata, quippe quam in nobis non experiamur. Sed facilè reſpondetur. Nam Experientia illa propria in ſe teſtatur quidem de cognitione aliqua à ſenſibus ordiente, ſed alium cognoſcendi modum & rationem non dari, eâdem experientia haud firmatur. Deinde ſupra ex ſcriptura probavimus, aliam cognoſcendi rationem dari per habitum nempe connatum accedentem, quem ſi experientia non monſtraret, Spiritui S. tamen crederemus, cum præſertim experientia noſtra fallax ſit, maxime in receſſu Animorum noſtrorum ubi motus quidem varios & actus in nobis experimur, ſed rationem illorum & originem non æquè. Tertiò experientia propria per ſe ſola non gignit aptum convi-

Exceptiones.

(1)

(2)

(3)

convictionis argumentum ; ſed denique in Authoritatem deſinit, qua motus alteri eredam. Quidni verò

(4) *quartò* experientia quoque alium oſtenderet modum? Deprehendimus certò in nobis anticipationem quandam notitiæ Dei aliarumque quarundam fundamentalium propoſitionum, ceu principiorum, quæ ſe ante inſtitutionem, diſciplinam & Ratiocinationem, ſi rectè perpendamus, produnt, & ad quæ ultimò recurrimus: quæ etiam in barbaris & minus cultis gentibus ſe exerunt, tanta firmitudine & conſtantiâ, ut à diſciplina, inſtitutione aut Ratiociniis repetere & rei ipſi, & ingenio earum vitæ rationi adverſetur. Experimur in mente, conſcientia, voluntate, affectu motibus & Actionibus vim ſupremi Numinis. In mente, ubi de Deo cogitare, ſpeculari incipimus, non poſſumus ſtringentes radios exiſtentis talis Numinis evitare. Conſcientia Legislatorem ſentit ſtimulosque illius in occultisſimis facinor bus, & extra metum hominum poſitis. Inclinat voluntas & affectus veluti pondere preſſus in votis, triſtibus aut lætis eventis ad Deum. Tribuat, qui concedit illa, uſui, conſuetudini inſtitutioni aut ingenioſorum obſervationibus, unde conceptus ad alios fluxerit. Refragatur Scriptura, quæ ad implantationem naſnralem refert, conſentit ſanum judicium rei natura fundatum, ut modò indicavimus.

§. LV. Sed *Regeritur:* Nulla Veritas dici poteſt menti ineſſe, cujus ſe cognitionem attigiſſe mens nunquam eſt ſibi conſcia ; ſi quæ etenim ita ineſſe dici poſſit, tunc pari ratione propoſitiones omnes, de quarum

veritate

veritate constat, & quibus Mens aliquando assentiri pot- *Exercitat.*
est, pro insitis & impressis haberemus. Nemo etenim *XVII. con-*
negauit unquam, mentem posse ad plurimarum verita *tinuans*
tum notitiam pertingere. Enimverò *Respondetur:* I. *superius*
Falsa prorsus ista est propositio: *Nulla Veritas menti* *Arg.*
inesse dici potest, cuius se cognitionem attigisse mens nun- *Resp M.*
quam est conscia. Quod patebit, si evolvamus dunta- *VITO*
xat sensum huius assertionis. Quid enim mentem sibi *HENR.*
conscium esse, est aliud, quam Mentem reflectere in id, *HASEN-*
cuius sibi conscia esse dicitur, illudque *actu reflexivo* *MVLLE-*
nosse: conscium igitur esse cognitionis, quam mens at- *RO Vthi-*
tigit, est, reflectere in cognitionem, & actu reflexivo *no-Holsat.*
cognoscere, considerare cognitionem, quam mens atti- *Responsio-*
git: cognitionem vero mentem attigisse dicitur Autho- *nes ad*
ri, quando Mens actu novit aliquod obiectum, seu *Lock. ex-*
aliquam veritatem. Est ergo Ipsi Mentem conscium es- *ceptiones*
se cognitionis, quam attigit: mentem actu reflexivo *Resp. 1.*
cognoscere actum illum mentis, quo directè cognovit
aliquam veritatem. Jam sensus totus erit: Quando
Mens nunquam actu reflexivo cognovit aliquam in se a-
ctualem cognitionem directam veritatis; veritas illa
non potest dici menti inesse. Falsa inquam est hæc pro-
positio. Nam pone, nec cognitionem veritatis alicujus
actualem directam, adeoque nec reflectentem in illam in
mente fuisse, num propterea prorsus non inest in men-
te, quid si vero per modum cognitionis habitualis insit?
ubi certè & actualis directa illa, & reflexiva potest ab-
esse, ut tamen prior non negari debeat: cum actualis
illa directa & reflexiva ob diversas rationes abesse possit

ab habituali. Quod ut recte intelligatur per habitum plus non intelligemus, quam perfectionem naturali facultati superadditam, eamque facilitantem vel disponentem facultatem illam ad cognitionem veritatis, ac promptam reddentem. *Vel* enim per ætatis rationem ac imbecillitatem fieri potest, ut, quod ita inest, nondum in actum directum ut in adultis, proruperit, adeoque taliter etiam actu reflectente non cognitum sit: vel per habitum contrarium superinductum, ut detineatur, quod inest, ne in actum prodeat, ut Paulus dicit de gentibus, quod *detineant veritatem in injustitia*: *Vel* per corruptionem ac infirmationem facultatis naturalis. Quæ impedimenta cum non sint in omni actu; certè illi *in* quibus non sunt, experiri, & in experientiam reflectere possunt, & demonstrare: Veritates naturaliter Menti inesse, ubi verò experientia & demonstratio naturalis deficit, Revelatio, ut supra, succurrit.

Resp. 2. ad Lock. §. LVI. Deinde in Infantibus, qui non minus sunt homines, quam adulti, sunt facultates humanæ, intellectus & voluntatis, cujus tamen sibi non conscii sunt, quis verò dixerit non inesse in illis, num bruta ergò sunt, non homines? Porrò in iisdem infantibus nondum usus rationis per se capacibus sunt motus Spiritus S. per Regenerationem Spiritus S. imò ipsa Fides in illorum mente, ut alibi è Scriptura hactenus est demonstratum, nec quiquam solidi in contrarium allatum, quos tamen motus illos & fidem actu reflectente cognoscere nullo experimento, nullo fundamento constat. Quid si ergò etiam in regno naturæ cogitationes in illis sint; num

sequi-

ſequitur eos etiam actu reflectente illas intueri, & intelligere, ſe cogitare? Quid quod Anima in Ipſis motus ſentiat vividisſimo modo, ſentiunt dolores, delectantur objectis, neſciunt tamen ſe ſentire ſe delectori, id eſt non conſcii ſunt illius, nec actu reflexivo intelligunt, quis tamen dixerit, illis non ineſſe. Et ſi non reflectunt in id quod vividisſimo modo in eis ſe exerit, quid mirum ſi non in id, quod ſubtiliore modo ineſt, per modum habitus, perfectionis promptitudinis? Sed & quod adultos attinet, pone barbarum, Paulus ait: detinere veritatem in injuſtitia: non reflectunt in illam veritatem, num propterea non eſt in Ipſis? contradicit Spiritus S. & ipſa praxis, quando aliud agentes veluti raptu quodam divinitatis ſenſum produnt, geſtibus exclamationibus vel alio modo, quem tamen non attendunt, actuque reflectente & conſideratione in illos feruntur, ut ibi Deum ſe cognoſcere obſervent, indeque ad ulteriorem inveſtigationem progrediantur. Inſuper cogitationes ſæpe tam repentinæ ſunt & fugitivæ ut velut in indiviſibili puncto ponendæ ſint, ſi concipias, quæ tamen nec tum cum oboriuntur, nec cum præterierunt, unquam in memoriam revocantur, aut actu reflexivo, adſpiciuntur, quæ pertinent v.g. ad peccata occulta: male tamen dixeris, non ineſſe, aut actu adfuiſſe, cum earum haud unquam conſcius fueris. Haud igitur dubium, niſi & Scripturam & rationalem experientiam negare velis; veritatem ſ. notitiam ejus ineſſe poſſe, nempe per modum *habitûs*, ſenſu antea dicto, ut tamen nec in actum directum neque reflexim prodeat, vel prodierit: vel ſi in actum directum, non tamen reflexum.

 §. LVII.

Resp. 3. ad Lock.

§. LVII. Nec sequitur, quod putat Author, si veritas Menti inesse dici potest, cujus tamen cognitionem attigisse, mens nunquam conscia est; fore ut pari ratione omnes propositiones, quibus mens aliquando assentiri potest, pro insitis & impressis habendæ sint. Nam

(α) (α) insitæ notitiæ immediatè suamet luce radiant, & veritates cognoscendas præbent non interveniente alia causa sive principio assensum gignente, omnes verò aliæ propositiones, quibus mens assentiri potest aliquando, lucem & assensum naniscuntur non ex interiori immediato principio ac fundamento, sed ex luce adventitia, medio aliunde assumpto, & interveniente discursu: vel-

(β) uti notitiæ naturales adquisitæ. (β) Ut aliquid *insitum* & ingenitum dicatur, non sufficit, ut potentia naturalis id quavis ratione cognoscere, aut circa illud ratiocinari queat: quomodo absurdè omnes Veritates, quas mens, cognitione sua attingere, potest, insitæ dici deberent vel ingenitæ: sed ad hunc loquendi modum: *notitia* innata *insita*, *congenita*, necesse est saltim, ut præter potentiam naturalem ceu causam efficientem physicam cognitionis, actualis, & ipsum cognitionis seu notitiæ veritatis actum, aliquid potentiæ naturali seu facultati insit, propter quod notitia possit dici, ingenita, insita sc. Menti s. Facultati naturali, & adeò dicta illa intelligi, quibus dicitur γνωστὸν θεῦ φανερὸν esse ἐν αὐτοῖς, ἔργον νόμυ inscriptum cordibus &c. ipsum enim actum cognitionis s. notitiæ secundum & transitorium extare in recens nato infante, nemo dixit, sed cum in primævo statu per creationem cognitio Dei, justitia, sanctitas, indeque depen-

dependens impressio legis permodum habitus, promptitudinis, perfectionis facilitantis in homine fuerant: ad analogiam illorum certissimè & tutissimè concipitur modus inexistendi notitiarum insitarum, ceu ruderum primi illius status, quorum vi adhuc post lapsum homo sine discursu, immediatè Deum existentem cognoscere potest. Atque sic demum habemus subjectum cui insitum seu ingenitum quid est, & objectum seu id quod insitum est, nempe ipsa illa habitualis cognitio s. perfectio immediatè & sine discursu Dei existentiam cognoscendi, ceu lumen quoddam immediatè ad illam veritatem tendens.

§. LVIII. Jam (γ) si demum per modum speciei (γ)
impressæ, quales aliâs habitus adquisiti includunt, notitias ingenitas dicas, quod alii volunt, *tùm* quòd ille modus inexistendi animæ, ceu Spiritui æquè naturalis sit, atque Angelis, qui non ab objectis externis sensualiter notitiam suam hauriant, *tùm* quòd protoplasti habitus suos in quibus creati sunt, non demum ex objectis adquisiverunt, sed concreatos habuerunt, dicuntur enim in cognitione justitia, sanctitate conditi, adeoque non sine specibus à Deo impressis, cum præsertim in Agnitione simili, illi, quæ exemplar est Imaginis Divinæ cognitionis in nobis, fuerint conditi. conf. *Col. 3, 10.* quæ licèt non fuerit per speciem in Deo, sicut in homine, tamen ut exemplar & protypum esse debebat cognitionis concreatæ, vel *formaliter*, id est, sub illa ratione concepta, non potuit non *vera* esse *cognitio*, undeque homo denominaretur sapiens, imò sapientissimus: at quomodo sine *specie* vel *idea* aut charactere aliquo divinitatis impresso aut *imagine* ejus quod

cognoſcendum erat, vera potuit eſſe cognitio: niſi dicas: Deum ſeipſum immediatè ſine interveniente ſpecie intelligibili menti præbuiſſe cognoſcendum: quod infra refutabitur. Vel ſaltim illam promptitudinem ac perfectionem cognoſcendi Deum potentiæ naturali ſuperadditam eamque ad hoc objectum facilitantem neceſſe eſt ita concipias, ut dicas: Deum in creatione intellectum humanum ita promptum reddidiſſe ad ſui cognitionem ita inclinatum & determinatum, ut facilè, quandocunque voluerit, & quavis occaſione, potuerit actum veræ cognitionis Dei ſine interveniente diſcurſu & adſcititiis mediis externis prodere ſ. elicere, quo ipſo verò etiam fateris, *conceptum*, *ideam*, *ſpeciem*, *characterem*, aliquem Dei, aut ſi aliæ voces ſuppetant, rem exprimentes, Menti ſuo modo ac *virtualiter* ineſſe, vel, ut ſcriptura loquitur, γνωςὸν θεοῦ manifeſtum eſſe in homine, ἔργον νόμου inſcriptum eſſe. Quocunque modo rem explices, vel hoc vel illo ſuperiore, non tamen ſequetur, quod *Lockius* vult, quòd omnes veritates quæ Mentis cognitione attinguntur, inſitæ dici queant, vel inſcriptæ vel manifeſtæ in homine, non enim de omnibus dici poteſt, cum præſertim experientia communis refragetur, quod in mente ſit adhuc dum poſt lapſum promptitudo, inclinatio, determinatio & perfectio ad illas veritates immediatè cognoſcendas, quin potius multo ſtudio & labore adquiruntur, idque ſæpe per conſequentiarum ſyrmata.

§. LIX. Nimirum: in iis argumentis, quæ non concernunt Doctrinæ myſteria, ſed quodammodò è lumine Naturæ & Experientia communi dependent; velut

in

in Doctrina de Notitiis naturalibus, respiciendum est nihilominus in Scriptura Sacra, quæ sententia potissimum naturali vocum & phrasium sensus ac contextui conveniat, & ideæ sanorum verborum neque attendendum primò quid rationi, conveniat, ut juxta illud textus torqueatur, cum ratio nunquam eò assurgat, ut ulli in Scriptura Sacra propositioni propter illam *ultimò* sit fides habenda, seu propter convenientiam cum illa. Multò minus aliqua sectarum hypothesis, sive sit *Aristotelis* sive *Cartesii* aut cujuscunque aliûs eò usque efferri debet, ut, si sensus aliquis verbi divini attingat aut ingrediatur materiam per se philosophiæ substratam : ejusmodi hypothesis etsi haud improbabilis assumatur, ad Scripturæ sententiam eruendam ac demonstrandam. Ita v. g. trita ista regula, præsertim uti vulgò explicatur, *nihil est intellectu quod non prius fuerit in sensu*; male assumeretur pro medio vel principio explicandi, loca de notitiis insitis agentia ita, ne *Aristoteli* adversentur. Nunquam enim in Scholis Christianis eo fine receptus fuit, ut ad ejus captum talia explicentur. Sic ex altera parte sententia de Ideis *Cartesianis*, malè itidem adplicatur ad Scripturæ sententiam de Notitiis innatis: sed dispiciendum primô, quænam hypothesis ita sit comparata, ut Scripturæ maxime ejusque doctrinæ conveniat; aut si res ita postulare videntur, alia simplicior via tenenda: non enim Scripturæ veritates omnes, quas proponit, determinat quoad specialissimos modos rei, si præsertim nihil ad salutem pertineant. Sic hoc loco manifestum dicit τὸ γνωστὸν θεοῦ in gentibus, item de inscriptione, deque

eo

eo quod gentes naturâ faciunt. Quomodo autem insit in illis, qualis sit inscriptio ita determinatè non dicitur: cum tamen de inexistentia, sit sermo, item de inscriptione &c. facile quivis animadvertit, si conjungantur *inprimis* origenes naturæ: non de mera potentia ratiocinandi ac colligendi hæc accipi debere, ut supra probatum, nec de *Cartesianis Ideis*, ut plures demonstrarunt. *conf. Musæus Introd.*

§. LX. Supplendus ergò *Rationalistæ* processus: *lib. IV. Cap. X. de Intellectu: Etiamsi Deus Notiones aut primævos sui ipsius characteres in animis nostris non inscripsit; sibimet tamen exinde testimonium perhibuit, quod eas quibus præditi sumus vires animorum atque ingenii facultates nobis largitus est: ut ostendamus igitur, certò nos scire, posse Deum esse, atque unde certitudo illa nascitur, satis est, puto, ut nosmet spectemus, tantum atque non dubiam istam, quam habemus existentiæ nostræ cognitionem. Extra dubium est, hominem clare percipere se existere. Homo insuper certitudine intuitiva scit: purè nihil ens aliquod reale haud magis producere, quàm duobus angelis rectis æquale esse possit. Experimur insuper nos percipere & intelligere; binc largius provecti discimus: in mundo eas esse intelligentiæ præditum, & sic porrò: existere Ens intellectuale ab æterno.* Non negamus logicum nexum & Demonstrationem. Sed præter istam ratiocinandi facultatem nihil aliud esse in homine perfectionis vel fuisse, nullas notitias insitas, nullum habitum, meram naturalem potentiam periculosè asseritur, & exemplum est *Rationalismi* ultra Scripturam & genuinas Naturæ origines Sapientis, ut supra indicatum.

§. LXI.

§. LXI. Merentur hic notari hypotheſes quas inſtruit *Collatio Samuel Parkerus in Cogitationibus de Deo & Providentia:* Parker. Diſp. VI. p. 544. ſeqq. ubi quidem (1) ait: *Se, etiamſi non negaverit, divinitatis naturaque legum notiones nobis innatas eſſe, quod eas Deus omnium Mentibus inſcripſerit, quò certius ſui memoriam tum legum ſuarum ſanctitatem tueatur, non videre tamen, quòd iis ſapiens quisque obligari ſe ſentiat, niſi primum recta ratione eas ſanciri intellexerit.* Reſp. cum recta ratione conjungi debet Scriptura, quæ non minus imò clarius innuit, innatas eſſe Dei legumque notiones, quocunque autem modo voluntas Dei inſinuetur, ſive Natura & ratione ſive Scripturâ, non poteſt non vim legis habere ac præcepti. Sed attendamus porrò (2) quid ſpectri ſit proventurum, ſi quis iis notionibus obligari ſe ſentiat, & non primum intellexerit, recta ratione eas ſanciri: nempe, *quicquid præterea Authoritatis habent, id* ἐνθουσιασμῷ *deferri, ait.* Reſp. Quaſi verò *Enthuſiaſta* ſtatim ſit, qui aliquid ſtatuit, ſe obligatum credit, ſine interveniente rationis diſcurſu, (hunc enim intelligit per rectam rationem) per *ſimplicem apprehenſionem:* quid ſi quis ſimili ratione diceret (eadem enim eſt ratio) enthuſiasmo deferre, qui ſtatuit: diſcurſu rationis rectæ ſibi leges divinas ſanciri, num enim *diſcurſus rationis ut talis* plus juris habet aut vim majorem ad prodendum divinitatis characterem, quàm Actus Rationis ſimpliciter apprehenſivus? Dicit: *nî rationis uſus naturæ legibus adhibeatur, certum nullum* κριτήριον *fore de iis judicandi.* Benè, ſed illa ipſa criteria, quæ diſcurſu ſe inſinuant, quibus aliqua no-

Reſp.

tio vel idea, judicatur à Deo esse, annon ipsa quoque à Deo indita esse præsupponendum est? aut alio criterio opus erit ex ratione desumpto, quod hoc testetur divinum: aut aliqua revelatione super illo criterio nempe, ut constet certò divinum esse? Et tamen illa ipsa Revelatio, si insinuabit se per rationis dictamen, ibi denuo redibit prior quæstio: quomodo rationis meæ discursu possim certus esse de Revelatione Dei? num propterea erit à Deo, quia illo discursu de Revelatione tàm vividum conceptum & assensum percipio in me progenitum, ut mihi vim faciam, si evitare velim, vel perinde me habere cogar ac si non essem? Sic per ipsum ultima ratio movendi me, ut statuam aliquam divinam originem vel præceptum, redibit in vividam illam in me perceptionem & sensationem. Atque sic necessario ac nolens volens ingeniosus *Parkerus* ipse juxta suas hypotheses labetur in *Entbusiasmum*, quem aliis objicit: aut fatendum Ipsi est, etiam dictamen rationis rectæ, prout criterium divinæ originis veritatis immediatè insinuat, aut insinuare dicitur, denique subsistere ita in vivida aliqua perceptione & sensatione interna, ut qui negare velit, sibi Ipsi faciat vim, vel omnia Ipsi neganda essent, aut saltim in dubium vocanda, ex eadem ratione, ex qua veritati ita perceptæ assensum denegat. Quod cum necessariò vitam importet brutali deteriorem & stultissimam, nemo prudens eò seduci se patiatur. Quod si aliquid à Deo originem habere creditur per divinam supernaturalem revelationem, ob ipsam hanc Revelationem se per verbum insinuantem, juxta orthodoxus

Doctri-

Doctrinam res explicari poterit, & benè se habebit, ut aliâs docetur in loco de *Scriptura Sacra & Conversione.*

§. 62. Cum itaque urgendo rectam rationem ad aliquod primum deveniendum sit, ut constet, à Deo habere originem omnem veritatem & obligationem, tutissimum est & vitæ humanæ ac ordinatæ convenientissimum, statuere: Summum Opificem omnipotentem dedisse nobis sensus: *Visum, auditum olfactum, usum, tactum*, & præter hos *Intellectum* quoque, quibus rectè dispositis de propriis objectis fides est habenda: perinde enim esset illis non credere ac illa non habere: quemadmodum enim Nobis frustra datus est sermo ad animi conceptus explicandos, si vocibus planè incognitis utamur; ita sensuum beneficium perdimus, si illis nullam habeamus Fidem, ut rectè hactenus *Viottus de Demonstrat.* p. 74. similiter *intellectum* dedisse Deum, ut iis fidem habeamus, quæ ipsi manifesta videntur, etiam sine discursu, veluti: quod totum est majus sua parte, & quod æqualia uni tertio inter se sint æqualia & similia: quod si igitur quædam veritas sub hemisphærio rationis, ad illa prima in analysi redactum sit, subsistendum esse, quod si his veritas & certitudo denegetur, nihil amplius certum est, nec ullus discursus aut criterium veritatis ad liquidum deduci poterit. Deinde ea quæ immediata inspectione & perceptione sensuali nituntur non admittere velle, ut & porro quibus intellectus immediatè & fine discursu assentitur velle à priori demonstrare vanum est; cum in ipso usu rectæ rationis, & in demonstratione hæc sint extra dubium ponenda, nisi in infinitum Te velis irretire, & circulo perpetuo confundi, à posteriori tamen illustrari possunt & confirmari.

Quæ sunt prima certitudinis humanæ principia.

§. 63. Pergit ingeniosus Parker p. 544. *bellua quo-*
Parker. *que suas habent insitas leges, nullius tamen virtutis compotes quod sine consilio sine ratione, sine cogitatione vivunt. Neque igitur illis meliores fuissent homines, nisi quòd cum ipsi omnia naturâ faciant, nos ratione duci, quæ facienda sunt, iudicamus. Pyrrhonii* apud Galenum, cit. *Viotto* urgebant: *ad partem divitiorem accedendum est, nempe rationem, sensum enim etiam animantibus rationis inexpertibus inesse, rationem solam hominibus cum diis esse communem.* Rationis demonstrationem urgebant, ut sensuum certitudinem negarent: *Parkerus* verò, ut insitam sive connatam notionem Dei incertam & authoritate carentem asserat, nisi recta ratione, è sensuali perceptione deducta ceu criterio quodam dignoscatur. *Sect. XVIII. Disp. p. 546. Sit firma omnium de Deo consensio: an igitur insculpta & innata sit necesse est? Cur non potius ipsa rei perspicuitate omnes se percipere, sibique assentiri cogat? solem in cœlo lucere, communis est gentium & populorum omnium opinio: num itaque illius ideam naturâ omnium mentibus impressam esse concludemus? Annon potius eâ vi longe lateque collucere, ut omnes, qui oculos habent, eum a se visum fateri cogantur. Quidni ergo & similiter nobis impressa sit Numinis notitia, ita scilicet, ut cum ipsam solis conversionem intueamur, ipse rei aspectus se sine opifice confici non posse indicaret? Dices verò, nationes barbaras, quamquam oculos habeant, ratione tamen non omninò uti solere. dico qui oculos habere satis est. Etenim tam aperta & perspicua est naturæ utilitas & pulchritudo, ut modo oculos tollant,*

tollant, fieri non posset, quin eam omnem sapientissimi cujusdam consilio constitutam fuisse fateantur.

§. LXIV. Quis non animadvertit: Stylo magis oratorio hæc dici, quam philosophico, haud convenienter instituto ad solidiores meditationes directo: Nam (1) innatas notitias, quas Deus omnium mentibus insculpserit, non negare se ait. p. 544. (2) tamen p. 546. non necesse esse, ut consensio de Deo insculpta sit & innata (3) rursus p. 547. scribit: *quidni nobis impressa sit Numinis notitia*, ita nempe, ut, cum ipsam solis conversionem intueamur, ipse rei aspectus se sine opifice non confici posse indicaret. Non negare audet notitias, quas Deus insculpserit mentibus, non tamen necesse esse, ut consensio illa de his insculpta sit: denique *impressas* ait, sed quomodo? ita ut è creaturæ, solis aspectû de opifice constet. Ludit igitur termino impressionis, & quæ ex creaturæ hauritur notitia, diciturque adquisita, vocat impressam, mediante nempe *creaturâ* per quam, veluti solem testantem de Artifice suo, cogamur fateri Deum (4) oculos habere satis esse, ait, modò oculi tollantur, fieri non posse, quin Deus creator agnoscatur. Ipse tamen antea non negare voluerat, integras hominum gentes sic efferatas esse immanitate, ut omni Numinis sensu & suspicione caruerint. Quod si admittitur, quomodo dicitur verè: modò oculi tollantur, fieri non posse &c. atque juxta ipsum ab integris gentibus non esse cognitum Deum non negatur. (5) Si quis ait, ponat, populum non magis ratione duci, quam si eâ, prorsus caruisset; tamen sapientum authoritate de existentia Numinis Fidem & opi-

Pensantur ulteriora Parkeri, argg.

nionem apud populum invaluisse, & hoc consensionis universæ omnis exordium fuisse, non tamen authoritate, sed maximà ipsius rei evidentia in Dei notionem tanta conspiratioue ferri nos videri, asserit.

§. LXV. En perquas ambages se torqueat *Parkerus* ad quod incommodum non deveniendum fuerat, si principia meliori modo, quam tantum per discursum, nempe intellectûs lumine sciri, & sine discursu agnovisset. Illud *speciatim* non magni momenti est, quòd ait, solem in cœlo lucere, communem esse opinionem, non tamen sequi, illius naturam omnium mentibus impressam esse, unde nec de Deo rectè concludi: consentire omnes, ergò ejus Idea est impressa: nam ab iis quæ sensibus manifestò sunt obnoxia, ad ea quæ sensu non percipiuntur, *nullus* est firmus nexus. Unde à communi consensu, qualis est de Deo, concludi poterit ad notionem aliquam insitam, etsi id de sole, quem oculis adspicimus, non valeat: prior enim consensus ita comparatus est, ut arguat sua natura interius quoddam & insitum principium, quod de consensu circa solem ob oculos posito dici non potest: ibi homines etiam barbari nec disciplinâ culti anticipationem notionis Dei in praxi & aliud agentes ostendunt: hîc objectum cujus notitiam habent, omnium oculis est expositum. Præterea characterem aliquam divinitatis s. creatoris menti ineſſe conveniens prorsus est indoli creaturæ rationalis, ut verò characteres, notæ, species creaturarum insint illi, ante ipsum aspectum aut externam sensualem perceptionem, non æquè connectitur cum creatura rationali. Et; quàm improbabile est, consensum illum

in

in notionem Dei, provenire à Sapientum obſervatione, inde demum in vulgum ſparſum, qui evidentia rei inductus aſſenſum præbuerat? hocce ne eſt manifeſtum eſſe in gentibus, quod ſapientum obſervatione à creaturis & diſciplina illis ingeſtum eſt? hocce inſcriptum cordibus, ita, ut naturâ faciant opus legis? neque ſapientum obſervationes tam univerſales totque altas in uniuerſum radices agere potuerunt.

§. LXVI. Ab his hypotheſibus ulterius transeundum nunc eſſet & *Poireti* ex adverſo hypotheſis examinanda: ſed de *uſu* prius dictorum prolixiuscule præmittendum prius. Quis enim non videt, quò tendat illa Theologiæ naturalis inſitæ deſtructio, nempe ad extirpationem Articuli de Imagine Dei: Nam ſi nullæ ſunt notitiæ inſitæ, ut ſupra ſunt explicatæ reliquiæ habituum in ſtatu perfectionis concreatorum; Si adeò nulla concreata ſapientia; homines ſanè ſimplices fuêre & tantum non ſtupidi. conf. *D. Alberti Intereſſe Relig.* Unde porrò nec reſtauratio aliqua imaginis divinæ quoad intellectum locum habebit, ſecus, quam ſcriptura docet *Col. 3, 10.* renovandos nos eſſe εἰς ἐπίγνωσιν ſecundum imaginem ejus, qui condidit nos. Pertinuit ad intellectus perfectionem habitualem promptitudo aſſentiendi omni verbo Dei revelato: amiſſa per lapſum ac per Spiritum S. in regeneratione ac renovatione in nobis reſtauranda; ſi verò nulla ſuperſunt rudera ſ. reliquiæ, nec Integrum aliquod Habituale unquam fuit in intellectu, ſapientia divina, quæ per eſſentiam importat cognitionem Dei & ejus exiſtentiæ; ſequitur hodie poſt lapſum non opus

Uſus.

eſſe

esse restauratione ad potentiam credendi verbo Dei Sp. S. gratia, sed vi ipsius potentiæ naturalis intellectus post lapsum residuæ hominem posse credere verbo Dei, quod *Pelagiani* erroris virus est. Hinc flores isti *Lockiani: I. Revelatio est ratio naturalis, novis quibusdam inventis nobis immediatè à Deo traditis auctior facta, quæ vera esse ratio ostendit per testimonia & argumenta, quibus ea à Deo manasse convincit. II. Qui rationem deprimit, ut extollat revelationem, lumen utriusque extinguit. lib. IV, cap. 19. III. Quicquid Deus revelavit, id verum esse omni dubitatione majus est. Utrum vero divina sit Revelatio, nec ne, rationis est judicare, quæ haud sinet unquam, ut mens argumentum obscurius præ evidentiori, aut quod probabile est, præ certitudine amplexetur. IV. Fides haud efficere potest, ut propositioni assentiamur, quæ cognitioni nostræ contradicitur. Etsi enim fides innititur Dei testimonio, qui mentiri nequit; unde tamen de veritate istius major in nobis persuasio esset, quàm de iis quæ ipsimet certò scimus? V. Vis omnis certitudinis ex ea, quæ in nobis est, notitia pendet, id nempe à Deo revelatum esse. VI. Ubi propositio, quæ revelata esse perhibetur, à cognitione sive ratione nostra dissidet; opponi potest: nos concipere non posse, unde illud à Deo proveniret, nostri Authore atque opifice benigno, quod pro vero semel receptum, indita in nobis principia & cognitionis fundamenta omnia statim everteret, omnes Animæ facultates inutiles prorsus perimeret, efficeretque, ut conditio humana sive Animi lumen, s. vitæ regimen spectes, brutorum longè deterior esset. VII. Haud æquum igitur est,*

ut

ut propositioni cuivis, tanquam divinæ revelationi assentiamur, quæ cum clara nostra cognitione intuitiva planè pugnat. e. g. *Ideæ unius corporis & loci unius inter se planè conveniunt; atque illarum convenientia menti adeò perspicua est, ut nos propositioni assentiri nequeamus, quæ dicit:* idem corpus in duobus simul locis esse, etsi ea divinæ Revelationis authoritatem præ se ferat, Lib. IV, Cap. XVIII. de Intellectu.

§. LXVI. Sic *Rationalista* nihil Fidei divinæ relinquit, cuncta ad Rationem reducit, in huius *intuitione*, ut loquitur, & *Demonstratione* omnis certitudo posita est: sola ratio character divinæ originis est: ista lapis lydius ad quem omnes veritates examinandæ, nulla mysteria, nisi quantum ratio admittit, nulla Authoritas divina, nisi quam ratio adprobat, nulla Fides nisi ratione stabilita, cuncta in Scriptura Sacra ad rationis legem expendenda. Misera Religionis facies! quæ tamen Novaturientibus adeò placet, ut sanctam castamque veritatis divinæ virginem præ scorto isto Atheistico contemnant, cavillentur: pedantica, scholastica, lyra, clamores sunt, quiquid non effascinatis his justo Dei judicio, arridet. Rem ipsam quod attinet: (1) non eo fine ista sunt adducta h. l. ut examinentur ex professo, sed ut nexus hypothesium adpareat, & usus hujus tractationis de Notitiis insitis: quæ, si non ad regulam Scripturæ Sacræ, & doctrinæ salutaris proportionem in illa indicatam revocentur, universam compagem salutiferæ veritatis destrui necesse est. Multum enim utique refert, primas cognitionis humanæ origines rectè investigari: ubi si defece-

Momentum erroris Lock.

(1)

ris; facilè deinceps præceps per errorum devia lapsus est.

(2) *Differentia nostratium.*

Neque verò est (2) quòd quis putet: eos è Nostris Theologos in eadem incidere retia, qui negant legem N. & cognitionem Dei naturalem esse rudera Imaginis divinæ, quæ prorsus amissa sit: Quippe nihilominus legem Naturæ & cognitionem Dei habitualem naturalem, insitam statuunt, & cum strictè ea solum intelligant per Imaginem Dei, quæ Spiritualia sunt, seu per Spiritum S. restaurantur in nobis; tamen tam arctè cum imagine Dei ista conjuncta esse profitentur, ut posita hac, illa non possint non poni, & licèt Imago Dei sit amissa, illa tamen, docente Scriptura, non periisse, sed post lapsum in homine mansisse: legem nempe naturæ & cognitionem Dei naturalem insitam: Et, cum Imago Dei *habitualis* fuerit, illam ipsam quoque notitiam naturalem item legem naturalem necessariò inextitisse habitualiter asserunt, & substernunt homini in genere morum perfecto, ut sit rationalis Dei creatura, bona & perfecta. vid. *Schmid. Tr. de Imag. Dei.*

§. LXVII. Sed neque illi ex Nostratibus Lockio accensendi, qui *notitias insitas per propinquam potentiam* cognoscendi explicant. Addunt enim, non nudam esse potentiam cognoscendi, *sed perfectionem potentiæ cognoscendi superadditam & connatam, lucem intellectus congenitam, quia intellectus potens, vel in potentia propinqua constituitur ad actus cognoscendi per se immediatè, & citra ullam aliunde assumptam rationem cognoscendi eliciendos:* quomodo *innatas* vocant notitias, secundum quid, id est ea parte, qua continent quandam intel-

(1)

intellectui innatam perfectionem, quæ cum ſpecie impreſſa ſimul ſit notitia habitualis & actu primo. Vid. B. *Muſæus Introd. &* ausführliche Erklärung. Nam & hi nihilominus ab hypotheſibus perniciosis allatis alienisſimi ſunt, & cum orthodoxis contra Socinianos de Imagine Dei rectè docent. vid. *Muſ. c. 9. l. c.* de Imagine Dei Quicquid verò *Lockius* vel *Parkerus* differunt de luce aliqua intellectus, vel de *impreſſione* vel etiam *inſcriptione* *divinitatis* naturæque legum ſubinde inſpergunt, ut ſupra jam obſervatum, tamen non aliam intelligunt, quam eam quæ eſt in ordine ad creaturas, quarum inſpectione ſeu intuitione hauriatur notitia Dei. *Lockius* enim omnem in univerſum cognitionem ab externis ſenſibus ducit, nec aliam Dei agnoſcit cognitionem, quàm, quæ ex intuitione creaturæ hauritur & adquiritur. Hic enim enim ejus proceſſus eſt: Lib. IV. cap. X. *Etſi Deus nullas notiones aut primævos ſui ipſius characteres in animis noſtris inſcripſerit: ſibimet tamen teſtimonium perhibuit, quòd eas, quibus præditi ſumus vires animorum atque ingenii facultates nobis largitus eſt, quòd ſenſu pollemus & ratione, atque ipſius indicia in nobis circumferimus, ut oſtendamus igitur, ſcire nos poſſe Deum eſſe, atque undenam certitudo illa naſcatur, ſatis eſt, puto, ut nosmet tantum ſpectemus, & exiſtentiæ noſtræ cognitionem. Extra dubium eſt: hominem clarè percipere ſe exiſtere, homo inſuper ſcit, purè nihil ens aliquod reale haud magis producere, quam duobus angulis rectis æquale eſſe poſſit. Si igitur compertum eſt, eſſe ens aliquod reale atque non ens, non poſſe ens reale producere, hinc demonſtratur* (3)

ens aliquod ab æterno extitisse &c. *Parkerus* quoque similem deductionem agnoscit, ut supra.

(4) *Comparatio sententiæ Lockii & Parkeri cum orthodoxa.*

§. LXVIII. Sic Viri profundæ meditationis ac philosophiæ dum *Cartesii* methodum ejusque ideas connatas s. congenitas operosius destruunt, in alterum labuntur extremum, ut simul cum explosis Ideis illis congenitis insitas ut è verbo Dei docentur, notitias prorsus eliminare nec aliam admittere videantur, quam quæ ex intuitione creaturæ est. Orthodoxi mediam tenuere sententiam: secuti Scripturam, neque *Cartesio* adstipulantur, neque tamen solas adquisitas doceant notitias, sed insitam aliquam per modum connati habitus ut supra, quam licèt diversimodè explicant, summa & nervus tamen huc redit: Adhuc post lapsum aliquid originariæ perfectionis illius in mente supereſſe, juxta quam ea inclinat ad eliciendam Dei notitiam confusam ex se ipsa: jam ante rationis usum inde ab infantia, quæ verò ita insita accedentibus externis adminiculis & præsidiis magis illustratur & confirmatur, ac provocatur. Fundamenta supra attulimus è *Scriptura* ibique tùm claris testimoniis tum primis humanæ naturæ originibus, cui accessit experientia universalis illa, non qualiscunque, unius tantum vel alterius; ut ad principium & causam universalem rectè concludi queat. Quæ alii, ne dicam de Socinianis passim annotatis, in adversam partem & contra illos disputarunt pridem ante *Lockium*, in vulgus notum est, hunc propter excellens ingenium & magnum adparatum, quem de modis intelligendi & ratiocinandi congessit, haud absque fructu conferri putavimus, juncto subinde

Parkero: non ignari eorum, quæ apud *Rœllium* & *de Vries* de ideis innatis ſunt diſputata.

§. LXIX. Nunc verò ad *Poiretum* pergendum eſt, cujus hypotheſes breviter expedire poterimus, poſtquam in hoc argumento prolixius verſati jam ſumus. Is verò videndus in *Oeconomia divina* Libr.I.cap.I. ubi 1. *Scopus* notari meretur: Sic enim ſcribit: *Initium ita facturus ſum, ut iis etiam, qui vel maxime omnia incerta eſſe ſtatuunt, ſatisfiat.* At æquitatem tamen aliquam poſtulat: *Ponimus*, inquit, *eos æquitate eò usque præditos eſſe, ut lumina, in quibus adquieſci poſſit, deſiderent, parati ſimul iis non reluctari, ſicubi talia inveniantur, quæ animis omnium, qui ſincerè iis locum dabunt, tranquillitatem ſolidam adferre queant.* Videamus itaque quod & quale ſit initium iſtud quod facit: Nimirum orditur ab *exiſtentia ſui: Ego ſum*, hanc ait eſſe *primam Veritatem, certam apud omnes, qui de ea cogitant, tantum illa habet certitudinem, ut nullæ ſcepticorum rationes contra eam valeant: Hæc ergo nobis erat & certitudinis exemplar, & occaſio res alias cognoſcendi, & cognitionis meæ objectum, à qua ad rem ipſam tranſiturus ſum.* Probat tamen etiam hanc veritatem *Senſu & Ratione: peculiariſſimè ſentio atque experior me eſſe, idemque quoniam ratio docet, ſine contradictione ea de re dubitari non poteſt.* Illud ab experientia ſ. ſenſu deſmptum hac regula ſeu principio exponit: *Quicquid per experientiam ſ. modo ſenſibiliſſimo aut peculiari percipitur ſenſu, id exiſtit.* Hanc tamen regulam ità explicat pag. 9. lib. I. cap. I. *de Dei exiſtentia: non argumentamur*, inquit, *propter ſolam per-*

Collatio Poireti

1. *Scopus.*

2. *Modus procedendi ubi prima veritas.*

Ejus probatio à ſenſu & ratione.

ceptionis vivacitatem aut propter ſenſibilitatis præſentis gradum, ſed propter perceptionem ipſam ex hac objecti perceptione ad entis reſpondentis exiſtentiam: Declarat hoc amplius ita: *aio, certitudinem exiſtentiæ rei alicujus ex hac ratione firmiſſimè colligi, quod ſit objectum ſub quaque forma perceptum.* Rurſus: *De re percepta, ſive de eò, quod perceptionis noſtræ objectum eſt & ſub forma viva perceptionis, quam ſentimus, apparet, aio: quandoquidem hoc objectum ſenſibiliter percipitur, hinc, neceſſariò concludendum eſſe, quod res ſit realiter exiſtens.* Certitudo igitur regulæ *Poiretianæ* redit ad duplex momentum: unum eſt perceptio entis objectivi. ſeu objecti, alterum perceptio entis vividè objectivi Objectum vividum ſ. *Ens vivide objectivum deſcribit: cujus præſentia objectiva viva eſt, actuoſa, efficax, & velut animata & vividiſſimum ſenſum afferens. Vel* igitur hæc momenta & nervi conjunctim conſiderandi, in unum medium terminum confluentes: Quod objectum vividiſſimo modo, actuoſo, efficaci percipitur, id revera exiſtit, vel disjunctim, ut peculiaris emergat medius terminus: Quod objectum ſenſibiliter percipitur, illud revera exiſtit. Sed attendamus porrò, nondum enim ad demonſtrandi finem pervenit: *Si ens vividè objectivum per ſe non ſufficeret, ut hinc conficeretur, objectum ipſum eſſe, verum ens, ſequeretur: Me quando me ipſum percipio, non poſſe ex eo concludere, me quippiam eſſe reale, neque poſſem certus eſſe, utrum dum memet ipſum percipio, non percipiam nihilum. Ergo mihimet ipſe qua objectum perceptum nihil eſſem, omnesque conſiderationes*

de

de me falsæ forent, ac fundamento & certitudine carerent. Sanè per hypotheses Authoris!

§. LXX. Quantæ verò quæso ambages istæ & circuitus sunt: ubi tamen in fine nihil aliud efficitur, quam hoc: si argumentum ab experientia desumptum eoque modo instructum, ut *Poiret* facit, non admittitur; secutum esse: *Semetipsum ut objectum perceptum nihil esse.* Aſt (1) quid tùm, si ex methodo viri sequeretur, Poiretum ut objectum perceptum nihil esse: potest tamen ex alio fundamento in numero entium manere, etsi non per propriam methodum. Nam (2) si ita argumentor, ut author antea: Quod est objectum perceptum s. objectivum esse habet, in perceptione mea, id necessariò habet veram entitatem; haùd plus conficitur, quam *entitas objectiva, non vera, realis physica. Objectivum* enim esse, s. per modum illius objecti Mens in sentiendo vel cognoscendo pro objecto immediatè habet, non est ipsum reale esse physicum entis extra perceptionem existentis. Dicas: At necessariò arguit realem & physicam existentiam. Resp. quasi verò non possit perceptio illius esse quod non existit. Finge montes aureos, percipis certè in mente ac sensu interno, quod ita fingis, recipis enim & imprimis animo figmentum, quod imprimendo percipis, & recte quidem dicis, montes aureos esse objectum intellectus, sunt enim in mente per modum objecti, sed num propterea reali & vera existentia extra mentem? Sed ista pridem in Cartesio ejusque Amicis sunt explosa à multis. (3) Si ad vivacitatem res redeat; ut dicatur: figmenta non ita vivide percipiuntur. Respon-

Considerātio declarationis Poiretiani argumenti ab experientia

(1)
(2)

(3)

spon-

ſpondet Author ſibi Ipſi ; non ex ſola vivacitate perceptionis ſe argumentati. Deinde non vivacitas quævis perceptionis neceſſariò ex realitate, ſeu phyſica & reali exiſtentia objecti provenit, ſed provenire poteſt ex forti impreſſione ejus, quod fingitur & fingendo concipitur: quæ fortis impreſſio varias ex vitio ſive naturali ſive mo-
(4) rali cauſas habere poteſt. (4) Cum in adplicatione ad exiſtentiam Dei illa vivida perceptio deficiat; inutilis ſanè eſt regula ſeu principium allatum, pro ultimo fine habens exiſtentiam Dei, quin ab exiguo filamento ſuſpenditur quaſi notitia exiſtentiæ Dei, ab eſſe nempe objectivo in intellectu id eſt conceptu hominis.

(5) §. LXXI. (5) Itaque bene quidem eſt, quòd Veritas illa: *ego ſum*, ab exiſtentia creaturæ deſumpta primum ponitur, ſic enim convenienter Scripturæ diſcurſus à creatura ad creaturam inſtituitur. Sed non ut Authoris concluſio accipienda eſt, quæ nempe ipſo ſenſu potius externo & interno percipitur immediatè, ſentio enim me & loquentem, exiſtentem, an bulantem, ſentio apud me vim vitalem, motum &c. animadverto: ſenſui autem recte conſtituto & naturali ſuo vigore objectum percipienti ac repræſentanti niſi fides habetur periit ejus finis & ordo divinus. Jam ſi quis ab hoc ordine, Scepticorum cauſâ declinare velit, nec ſenſibus Fidem habere, ut illos lucretur, videt, in quam caliginem ſe præcipitet, nempe ut indagando verum, nihil ſciat, ex ente vero reali ens rationis & nihil faciat, ex vero
(6) Deo conceptualem, mentalem, fictitium. Nimirum (6) creaturæ ſenſibus externis & internis ut rei exiſtentis

obno-

obnoxiæ notitia non demonſtratione quærenda eſt, medio & fundamento primo naturali veluti ſuſpenſo, & in dubio poſito ob alterum, morbo quaſi corruptum, quod ipſe Author, alibi, ubi de veritate inveſtigandi, ejusque criteriis agit, obſervat: quod ſi enim ægrotus curandus; non ad morbum ſuſtinendum aut in deterius mutandum media ſunt adhibenda; id eſt: non inepta principia excogitanda, quæ in errore detineant errantem vel confirment in ſtolido errore: ſed rectius relinquitur ſtultus in ſtultitiâ ſua incurabilis, quàm ut aſſumendo principia inepta cauſæ veritatis per ſe noceatur, & virgo caſtiſſima, veritas in favorem ægroti & ſtulti reducendi ad ſanam mentem proſtituatur, dum ipſe videtur reduci poſſe, & Deus interim ſummum bonum in claſſem entium rationis devoluitur quod eſt ipſe *Atheismus*.

§. LXXII. Inſuper (7) ſi utique quis diſcurſu hoc inepto, id quod per ſe in ſenſus cadit, velit demonſtrare, uti *Poiretus*, non debebit à perceptione mentis auſpicari ita, ut ultra mentis hemiſphærium & indolem ſobolis quam ipſa procreat, concluſionem extendat: ſed in genere objectorum mentis manere: Non enim mens ſua vi percipit vivida perceptione tantum illa, quæ realem & extra hanc perceptionem exiſtentiam phyſicam habent, ſed & ea quæ ipſa excogitat, & in ſe recipit ac imprimit ſibi, ubi quidem rectè dico: quòd mens revera percipit, & actu impreſſum recipit, id omninò ſuo modo eſt aliquid & non omninò nihil, & perceptio etiam habet phyſicam aliquam realitatem, qualem actus à facultate prodeuntes habent: non enim poſſet in mente (7)

impreſſio aut receptio à mente fieri, niſi actus aliquis procederet, qui impreſſionem & receptionem in mente cauſatur: inſuper mens recipit etiam & percipit operationem ſibi impreſſiam v. g. actum errandi, *dubitandi* cognoſcendi, & revera actus ille perceptus in mente eidem impreſſus eſt reale quid in genere operationum mentis& conceptuum, ſed non ſequitur E.& objectum eorum in genere & claſſe rerum extra illum conceptum, revera ita exiſtentium. Nam actus phyſicus realiter à mente productus ibique receptus ac impreſſus verſatur quoque circa idquod revera non eſt, veluti in actu errandi, & concipiendi falſum: quod ſæpe tam vivida perceptione & opinione in mente triumphat, ac ſi eſſet *veriſimum*, ſicut cultus vitulinus, ut bonum ita ab Iſraelitis conceptum, tanquam verum bonum, & tam vivido conceptu, ut ſaltationes etiam ſuper illo inſtituerent. Quis tamen ita ratiocinatus fuerit: quiquid modo vivido aut peculiari percipitur, id exiſtit revera, & eſt tale, quale percipitur & cultus ille idololatricus in mente percipiebatur modo peculiari, ut Deo placens. E. cultus ille erat Deo placens. Sed tantum hoc ſequitur: E. in mente Idololatrarum erat revera cultus Deo placens. Similiter: in mente percipitur peculiari modo ipſa perſona percipientis, & porrò Deus exiſtens. E. illa perſona percipientis in mente percepta, & mediante ſimili perceptione Deus, ſunt aliquid quod in mente exiſtunt, mentaliter nempe, intentionaliter. E ne verò propterea extra illam reali exiſtentia? quis dixerit, qua ſpecie, fundamento? Annon enim

mens ipsa post lapsum obtenebrata, insuper vel falsis phantasiæ imaginibus fascinata vel voluntatis & affectuum æstu in perversum rapta potest aliquem non entis ut entis malique sensum tanquam veri & boni imprimere?

§. LXXIII. *Dicas:* Sic nec è perceptione sensuali constabit: hominem esse, aut reali existentia extra perceptionem sensualem existere. Resp. Diversa est ratio. Nam cum Deus non frustra dederit sensus, sed ut illis rectè constitutis & in ordine sua operosis fides habeatur, cum aliàs fine suo exciderent, rectè quidem & tutò illis in tantum fides habetur, nisi imprudenter eorum usum & veritatem ac vitæ humanæ usum simul eliminare velis. Sed non æquali ratione ad ordinem Dei & naturæ provocare poteris si objecta sensuum sine fundamento sensuum è mentis immediata perceptione judicare velis; sensuum externorum objecta & ad quæ vim suam reflectunt, sunt res extra ipsos existentes, ut, si rectè constituti sint & ordinatè operosi, ab illis ritè concludam ad realiter & verè existentia. At objecta intellectûs immediata non sunt res ipsæ realiter existentes, sed tùm notiones suo modo à Deo impressæ, & quæ illis mediantibus porrò eliciuntur, tum imagines & species illæ sensibiles jam ab objectis receptæ & menti perceptæ, unde immediatè ab illarum in mente perceptione non concluditur aliter, quàm ad aliquam in mente existentiam illorum, quæ ibi percipiuntur: ut vero de reali ejus, quod mente percipitur, existentia certus sies, necesse est, ut *vel* per modum notitiæ insitæ aut lucis naturalis constet, v. g. Deum

reapſe exiſtere, *vel* per modum diſcurſus: ut denuò de exiſtentia Dei conſtat, ubi vero illud medium, quicquid modo vivido aut peculiari percipitur id exiſtit, haud ſuffecturum eſt, ut antea probatum: *vel* denique per modum ſenſualis perceptionis. Et ſic demum procedit diſcurſus hoc modo: quicquid per experientiam, juxta ordinem naturæ legemque opificis homini impreſſam percipimus, tanquam id quod exiſtit, id utique non tantum in mente eſt ſuo modo, quæ percipit, ſed revera exiſtit. Porrò quò clarior & vividior eſt illa perceptio experimentalis, eò majoris certitudinis indicium. Fundamentum eſt, quòd ſi huic Perceptioni experimentali non fidendum ſit, perinde foret, ac ſi fruſtranea eſſet & fine deſtitueretur facultas omnis naturalis, omnisque vis recipiendi & imprimendi animo veritatem. Cum itaque apud Animum impreſſiones & motus ejus e commodi experiamur, qui ſiſtunt vel ſignant ibi veritatem, aut ſpecietenus ens aliquod reale exiſtens e. g. notionem exiſtentis Dei, absque diſcurſu, tanquam lumine perceptam: vel ex diſcurſu pronatam, vel impreſſam interveniente externo ſenſu: nihil aliud ſupereſt, quàm ut diſpiciatur, num experientia qua ejusmodi motus & impreſſiones ſentimus, ſit juxta legem naturæ impreſſam, & juxta ordinem opificis inſtituta.

Criteria ordinatæ experientiæ.

§. LXXIV. Huc ergò pertinent *criteria* fundatæ & ordinatæ experientiæ, ſeu ſigna quædam: veluti ſi *primò* ſit univerſalis, nec ego tantum tales impreſſiones & motus in mente habeam ſed integræ gentes, præſertim

mora-

moratiores & ad Animi vim & operationes attendentes: de quarum animi constitutione & interno regno, ut ita loquar, testantur externi motus, actus, affectus, consuetudines. e. g. illud γνῶσιν θεοῦ in illis, ut supra: de quibus Historici. Si *secundò* impressio & motus in animo non sit umbraticus, sed ita intensus & vehemens, & vividus suo modo, ut tamen non ad aliquod principium vel originem vitiosam referri possit. Si *tertio* experientia interna mentis ad ipsos sensus externos rectè constitutos referri queat. Si *quartò* impressio & perceptio in mente, naturali lumine, aut vi aliqua interna producta discursu rectæ rationis confirmetur & consolidetur. conf. supra §. 62. Si *quintò* scriptura omni teste maior de illa *experientia* ceu universali testetur, ut *Paulus* supra testatus est de conscientia gentilium, in quibus cogitationes se excusant vel absolvunt, de opere legis inscriptæ ibidem &c. Si *sextò* impressio aut perceptio actualis non transitoria sit, sed constans, vel subinde regrediens, neque naturæ evitabilis, quò major est criteriorum harmonia, eò certior est experientia ordinata. Atque ita simul dilucidius patet, quod supra asseruimus, §. 61. 89. etiam absque discursu, sola apprehensione, perceptione & instinctu se insinuare posse notionem Dei & obligationem erga Deum: si modò ille actus in mente, item instinctus recte observetur & attendatur, ejusque indoles signetur, ut ad ordinatam ut diximus experientiam referatur; quæ verò non ex solo discursu rationis agnoscitur, ut antea ostensum. Cæterum signa illa & criteria ordinatæ experientiæ in mente, diversa sunt, unum determinatius & pressius

signat præ altero, aliqua potius conjunctim alia etiam seperatim.

Aberratio Poireti porrò in hoc argumento ostenditur. Sententiæ Autoris

§. LXXV. Debuerat *Poiretus* vel Veritatem: *ego sum* tanquam sensibus, ferè expositam supponere, vel ad illos provocare, sed dum id quod non neecssarium erat, demonstrare prius nititur hoc medio inepto: quod est ens vivide objectivum, à me perceptum, illud existit: quod modo peculiari percipitur, id utque existit: non modò (1) id quod per se oculis & reliquis sensibus externis & internis expositum est, per obscuram rationem probat, soli lucem fœneraturus è tenebris: sed etiam adplicare ad scopum non potest. Nam (2) etsi experiamur etiam impressionem & motum in mente, signantem nobis existentiam Dei, s. Deum existentem, idque vivido subinde modo percipiamus per naturam, utut languidè, & confusè in ordine ad eam perceptionem quæ è Scriptura Sacra hauritur; tamen in eo demonstrando, quod demonstrare præstituerat, prorsus deficit. Nempe (3) ait: *Perceptionem Dei, tum nostri tum alia qualibet multô esse ex se sensibiliorem & vividiorem ac fortiorem, posse intellectum hujus objecti sui formam induere, in formam illam transformari quoddammodo, sensibilem vividum futurum ei Deum, qui diligentiam adhibet, præ seipso: Sensibilem futurum tactum illius, præ eo, quo ipsi nos sentimus.* Nempe: *Si cætera objecta omnia, omnesque modalitates, passiones ac sensus rerum omnium exuamus, ac nostro objecto nos seriò dedamus, parati, nihil prætermittere eorum, quæ ad objectum firmiter animo suo imprimendum necessaria.* Sed attendamus explicatiora

(1)
(2)
(3)

tiora requisita: *oportebat mentem omnibus objectis aliis, omnibus affectibus, desideriis ac sensibus, quibus tum ad nos ipsos, tum ad alia quævis trahimur, purificatam evacuare:* quid porrò faciendum? *debemus nos totos objecto huic maximo ex toto animo ita adplicare, una cum serio nec simulato studio, nihil prætermittendi eorum, quæ idonea videantur, quibus nos cum Ipso uniamus, ut ille nobis totus insinuetur ac imprimatur, & in nobis fiat omnia, cunctaque in nobis formam Ipsius repræsentent.* (4) Quis ergò fructus & effectus erit hujus diligentiæ? (4) *Asseverantes dico:* (sic pergit) *Perceptio Dei tam efficaciter nos movebit, investiet & penetrabit, implebit ac consummabit, ut efficaciorem ac præsentiorem experturi simus,* quam perceptionem nostri & tanto quidem fortiorem, quantò infinitum ipsum finito majus est; (5) (5) Nunc ergò res erit in liquido posita? *Hac utique ratione fit, ut homo certitudinem divinæ Existentiæ efficacius ac præsentius experiatur, quàm Existentiam sui Ipsius.* (6) Sed ne quis putet impossibile hoc esse, nec dari talem experientiam & perceptionem Dei, en testimonia & exempla: *Qui animis ita præparati fuerunt, testantur: hominem in Deo absorberi, sensu suiipsius perdito solum Deum experiri, non jam vitâ sua sed vita Dei vivere Gal. 2, 20. Se esse unum eundemque spiritum cum Deo 1. Cor. 6, 17. in unum cum Ipso unitum & consummatum esse.* (7) Num vero *Paulo, Joanni,* fides habenda? (7) Resp. *Assensus iste hominibus sanctis & expertis non immeritò debitus, hac etiam veritate confirmatur: Quod infinitum infinitè efficacius moveat sentiatur, quam finitum,*

tum, non ratione tantum & æquitate, ſed & utilitate ac neceſſitate fulcitur: Quænam autem eſt iſta utilitas? quænam neceſitas? (8) *Hæc*, ait, *quòd qui, huc adduci* (8) *ſe patiuntur, iis animus accedet ita ſe præparandi, ut ſalutarem hanc experientiam facere, & de ea teſtificari poſſint. Pſ. 116, 10.* (9) Quid ergo de iis dicendum qui (9) Dei exiſtentiam non experiuntur? *ipſi ſunt in culpa, quia adſpirare nolunt ad præparationem & conditio-* (10) *nem neceſſariam.* (10) Num igitur hæc ratio Deum exiſtentem cognoſcendi certa eſt? imò *infallibilis eſt, certa & indubitata, imò ſublimſima & ſalutaris: via eſt ad Beatitudinem veram, ejusque & divinæ contemplationis initium.* Beati puri corde &c. Matth. 5, 8.

Epicriſis in Roireti hypotheſes

§. LXXVI. Quæ prolixius & ſine certo ordine Author diſſeruit hactenus, videntur his potiſſimum generalibus conſiſtere momentis: *An & quomodo iſta regula generalis; quicquid per experientiam ſ. modo ſenſibiliſſimo percipitur, exiſtit,* ad divinæ exiſtentiæ cognitionem adplicari poſſit? & num talis perceptio exiſtentis Dei, qualem ſupra deſcripſit Author, & quidem, per talia media, quæ præſcribit, detur? Et num illi inde ſint proventuri effectus quos ſignavit? ubi Repe- (1) tendum huc quod ſupra monuimus: (1) ex ipſa perceptione mentali objecti quoad *meram rationem objectivam*, ſive in quantum objectum perceptionis eſt, ad exiſtentiam revera & realem non concludi poſſe, ſunt enim etiam illa *objectivè* in intellectu, & percipiuntur ut objectum in actu cogitandi, quæ tamen non exiſtunt, aut realem (2) exiſtentiam habent: ut ſupra. Inde (2) ſi ad modum

perci-

percipiendi objectum *sensibilissima*, ut Author ait, ratione veniamus; observandum, quo sensu entis supremi perceptionem *sensibilem* vocet, imò *sensibilissimam*: scribit enim Lib. 1. cap. 1. p. 19. Perceptionem Dei esse duplicem: unam *immediatam, quam ipse Deus immediate efformet, ad quam facultates nostræ omnesque earum activitas & ideæ nihil faciunt.* Huius duas facit *classes, unam qua Deus animæ nunc hanc nunc illam vir tutem divinam singularem vividissimè sentiendam percipiendamque imprimit: alteram qua ineffabilis & viva impressio totius essentiæ divinæ in Animam fit, qua Deus vividè ac singularissimè intelligitur.* Hoc esse, quod Mystici *ad tenebras divinas* admitti, & *ad principii sui contemplationem* dicit. Alteram, ceu mediatam vocat, quæ ad activitatem nostram & ad ideas nostras proprias pertinet, sive ipsi in nobis perceptiones Entis supremi distinctiores excitare conemur, sive Idem nobis tanquam Ens absolutum repræsentemus in quantum ope rationis aut per ideas nostras legitimè fieri potest. De posteriore nunc, quia huc non spectat nihil, dicemus: Sed quod priorem illam immediatam attinet, figmentum *Mysticorum* & *Enthusiastarum* est sufficienter à nostris confutatum. conf. B. *D. Baieri* Diss. de *prægustu* vitæ æternæ, & nostra s. p. de quiete operosa sanctorum in *Decade Select. Tubing.*

(2) *quid Poiret cogitet per Dei perceptionem sensibilissima, ubi de immediata perceptione.*

Exercitatio XVIII. proponens fanaticas hypotheses in Experimentali Notitia Dei. Resp. IACOBO CHRIST. ZANDT, Durlacens.

§. LXXVII. Est juxta Scripturam Sacram perceptio Dei experimentalis per *Gratiam*, quæ fit operante Spiritu S. per verbum & Sacramenta, ubi reflectimus in Sanctos Dei motus, operationes, dona per verbum in

(3) *Immediata Dei perceptio confutatur.*

(4) *solidiora fundamenta ex Script. S. ponendo*

nobis excitata, indeque Deum eiusque bonitatem agnoscimus, attestante Spiritu S. Hæc cognitio & perceptio reflexiva non potest non in consensum trahere voluntatem, affectus & reliquas corpores vires. Hinc dicimur *videre & gustare, quod bonus est Dominus.* Ps. 34, 9. non utique sensu externo, sed mentis immediatè, in comparatione illius quemadmodum etiam ad Hebr. V, 14. *Sensus exercitatos per habitum ad dijudicationem boni & mali dicimur habere.* Alibi *gustare* dicimur Dei *verbum*, item *Donum supracœleste* Hebr. VI, 4. 5. Nimirum in verbo Dei manifestantur nobis thesauri spirituales & æterni, divinâ Misericordia in Christum nobis conferendi perfidem: hac Fide *Spes*, *gaudium*, *gloria in Deo* &c. exoriuntur. Hoc ipsum est *Regnum Dei in Nobis* Rom. XIV, Luc. XVII, ad quod dum reflectimus & attendimus experimur & percipimus id in nobis non mero actu *naturæ*, sed *gratiæ*: Spiritus S. enim συμμαρτυρεῖ Spiritui nostro, quod simus Filii Dei Rom. VIII, 16. atque sic dum in luce & virtute Spiritus S. Fidem nostram cum fructibus suis reflectendo percipimus, tanquam Dona & Bona Benignissimi & Misericordissimæ Numinis, in eadem luce Deum existentem Benignissimum magis quam antea cognoscimus, experimentali nempe notitia, non certè *immediate ipsius Dei*, sed ex operibus & donis ejus è verbo Dei & per verbum Dei in Nobis excitatis & productis hausta, reflectendo, in luce Spiritus S. è verbo Dei accensa: sic lumen è luce cœlesti majus accenditur, dulcis & suauis adquiescentia in Deo obsignatur, tanquam Summo Bono, motusque

& explicando perceptionem experimentalem Dei quæ mediata à posteriori.

sancti

ſancti congrui, ſpes, charitas, gaudium, & Harmonia reliquorum corporis virium fortius imprimuntur, non fidelibus mere patientibus, ſed Mente jam per Fidem tanquam vitam Spiritualem, actuoſa operoſa, voluntate vivificata & excitata reliquisque viribus virtute Spiritus S. operoſis. Non itaque merè *paſſiva*, nec ad tenebras divinas & *contemplationem Dei immediatam* ducens eſt hæc experimentalis notitia ſed operoſa, actuoſa per Fidem in verbo Dei fundatam. *actuoſa operoſa*

§. LXXIIX. Nec datur *immediata*, quam Author cum Myſticis fingit. Scriptura ait de univerſa noſtra perceptione Dei rerumque divinarum in hac vita, *quod videamus tanquam per ſpeculum in ænigmate* 1. Cor. XIII, 12. Deum nemo vidit neque videre poteſt 1. Tim. VI, 16. Futurum eſt ſeculum, non præſens, ubi eum viſuri ſimus, ſicuti eſt. 1. Joh. III, Pompoſa ſunt verba: *imprimi totam eſſentiam divinam in animam*, quo fit ut *Deum vivide ac ſingulariſſimè percipiamus*, ſed pietati parum conveniunt. Quid enim? num miſer homo in hac vita venundatus adhuc ſub peccatum, Eſſentiam totam puriſſimam ſanctiſſimam intuendo, circumgeſtabit ſibi impreſſam? *Participes* dicimur *divinæ naturæ* 2. Petri I, 4. ſed quomodo? & quî experimur hoc? per divina ἐπαγγελματα ſ. promiſſa: quæ nempe fide accipimus: Per Fidem *Chriſtus in nobis inhabitat*: Eph. III, 17. Fides adverbum Dei tendit, quo cognoſcimus Deum, Fides reflexiva in ſeipſam tendit, percipitur ergo Deus per Fidem in verbo: Sic Deum percipimus in imagine in ſigno & virtute verbi. Præſens nobis eſt, intimè unitus, totus *Perceptio immediata in hac vita nulla datur: probatur ex Script. S.* *elidüntur obſtacula.*

nec dimidiatus, qui dividi non potest, sumus unus cum Domino Spiritus. Sed Hoc Ipsum Ens infinitum, quod incomprehensibili unione cum Fidelibus unitum, in ipsis operosum, gratiosum est, num propterea immediatè percipitur à mente, cognitione intuitiva, non per species & signa? in verbo? num immediatè Animo impressum est? Unitur, quidam intimâ præsentia gratiosâ, operosa: Sed ubi cognoscimus illam unionem? in verbo & ex verbo, nec aliter nisi per verbum percipimus.

Collatio SSæ & Poireti ubi de visione Dei.

§. LXXIX. Tu Poirete dicis: immediate, dum vivâ impressione impressam Animæ essentiam divinam intelligamus, cui Fidem adhibebimus? Mystici cogitationi, an Spiritu S. asserto? Hic ait: *nos in imagine cognoscere Deum, Deum ipsum non videre, visuros autem aliquando esse, ambulare nos in fide, peregrinari à Domino, tunc cognituros esse, sicut nos cogniti sumus:* percipere opera ejus, in nobis, motus dona &c. Tu ipsam immediatè essentiam divinam animo impressam, ais, intelligi: hujus immediata vivida determinatissima, singularissima est perceptio, imò sensibilissima per Te. At quanta somnia! Quid? dicis: *Annon puri corde Deum videbunt.* Matth. V, 8. quid tum? loquitur Christus de futuro: sit illud videre *experiri:* experientia erit consummata, tum quando *similes Domino erimus* id est: glorificati 1. Joh. III, 2. At intelligatur in hac vita, quid ergò in Te experiris? Num plus quam notionem Dei in mente tua vel è Natura vel Scriptura acceptam? num plus quam opera, motus, dona divina, homo fidelis percipit in se? unde rectissimè ad Motorem ad causam

primam

primam ad Ens Benignisſimum miſericordisſimum concludit. Imò, ais, plus experior: vel ſi ego non experiar; ſancti tamen experiuntur alii complures. Unde igitur de tanto myſterio, de re tam admiranda conſtat? ſanctos percipere immediatè eſſentiam? Ex ipſa ſcriptura. Bene! ubi ergo? Apoſtolus ait de ſe: *non jam vita ſua, ſed vita Dei vivere* Gal. II, 20. Sed num ex his verbis vel fidibus extorqueri poteſt? E. eſſentiam Dei *immediatè* percipit? Qui ſcribit & dicitur in Spiritus S. luce, ſe non vivere vita ſua ſed vita Dei, ille percipit, ipſam Dei eſſentiam immediatè, Paulus de ſe dicit & ſcribit in Sp. Sancti luce: Se non jam ſua vita vivere, ſed Dei. E. Mirum! Apoſtolus, ait: *ſe vivere in carne,* τὸ ἐν σαρκὶ, addit, ὁ δὲ νῦν ζῶ, *quod nunc*, tum, in illo ſtatu gratiæ, vivit, hoc *vivere in fide*, τῇ τοῦ υἱοῦ θεοῦ quæ eſt Filii Dei; ſeu vitam naturæ dirigere in gratia & per gratiam Dei ad vitam Spiritualem, & vivere in fide Jeſu Chriſti, ſeu in Jeſum Chriſtum, ut alibi dicitur, id eſt vivere vita Spirituali. Num inde ſequitur: percipere cognitione experimentali, ipſam Eſſentiam Dei? Atqui hæc vita dicitur vita ἐν πίστει in fide, Fides eſt ex verbo Dei Rom. X. tendit in verbum Dei, quod accipitur, non certè percipiendo eſſentiam Dei, *ſed operante per verbum Deo in credentibus* 1. Theſſ. II, 13. Hèic experimentalis & reflexiva notitia in ipſam Fidem ſ. vitam ſpiritualem nihil aliud notificat, quam principium ſpirituale vitalium Operationum in via gratiæ & Spiritus, id eſt Fidem: in Chriſto ergò, ſeu vitâ Dei vivere, eſt in Fide Chriſti ſ. in Chriſtum è verbo Dei accenſa vivere, poſſidere habere

de vita Dei.

Sensu Poiretiano producit Deificationem.

bere principium spirituale vitale operationis spiritualis, hocce ne est percipere immediate essentiam Dei: percipere in se Fidem in Christum ut principium vitale spirituale? Aut num Deus ipse vel Christus est Fides, vita illa spiritualis & principium vitale in Christiano, ut dum homo vivit vita Fidei, eo ipso vivat vita Dei & Christi non *energeticè & effectivè* accepta, sed *essentialiter* ut est vita Dei *formaliter*? Sic actus Fidei eliciti erunt Actus Dei *subjectivè*: Deus credet, non homo, Deus vivet non homo sic aut Deus erit homo factus, aut homo Deus, & cum Deus sit immutabilis, cujus essentia in hominem non possit converti, homo in Deum erit absorptus, En *Deificationem* hominis, s. mutationem hominis in Deum.

Qui error capitalis illustratur aliis Poireti locis.

§. LXXX. Hinc lux affunditur illis *Poiretianis floribus: p. 10. Deus nobis totus insinuatur & inprimitur, in nobis fit omnia, cuncta in Nobis formam Ejus repræsentant, intellectus objecti sui formam vivide induit, imò in eam formam quodammodo transformatur.* Sane, si homo Essentiam Dei immediatè & sensibilissime percipit, ita ut ei Deus totus imprimatur, ut homo vivat ipsa vitâ Dei, & Deus in eo fiat omnia, & cuncta in homine Formam Dei repræsentant, intellectus objecti formam induit, imò in formam Dei quodammodo transformatus, quid mirum si essentialiter deificatus dicatur, si præsertim reliqua addantur figmenta, illudque paganum: *Hominem ratione mentis non simpliciter creatum sed verè ex Deo natum esse, perinde ac Verbum divinum, Filius Dei, praterquam quod sine necessitate per*

solum

ſolum arbitrium & gratiam Dei extra ſubſiſtentiam Dei ſubſiſtat. Videnda porrò Diſſertatio de *Poiretismo* Fanatico in doctrina de *ἀποκαθάρσει* Animæ ante & poſt mortem ſub Præſidio *Dn. D. Neumanni.* Quamquam enim quædam formulæ ex SS. bonum nanciſci queant ſenſum, tamen contextus hypotheſium & prodigioſa viri philoſophia non admittit; unde etiam æſtimari debet allegatio dictorum SS. Præter ſupra enim adducta provocat etiam ad Joh. XVII, 21. 23. ubi ſancti *dicantur in unum cum Deo uniti* & conſummati. Locus agit de admiranda illa unione Dei cum ſanctis; ſed quo medio, quave ſpecie quæſo ex hac unione myſtica immediata Dei perceptio elici poterit? vel unio illa Poiretiana, quæ in *Weigelii* aliorumque fanaticorum Imaginatione jam ebullivit, tanquam eſſentialis.

& Weigelii aliorumque fanaticorum hypotheſi.

§. LXXXI. Magnus verò ſaltus ab objecto & idea Mentis in ipſum Deum, ab ente rationis id eſt diminutiſſimo ad Ens perfectiſſimum & conſummatiſſimum. Nempe per Poiretianam philoſophiam aut Idea Carteſii extollitur in ſtatum Deitatis aut Deus reducitur in claſſem Entium rationis, medium per ipſius hypotheſes non datur. E vel *Atheismus* per illas fovendus erit aut ſuffulciendus *Enthuſiasmus* & Fanaticismus, quod poſtremum Author per ſuas hypotheſes exterius propoſitas eligit. Cæterum detecto principio & fonte mali tanquam fine demonſtrationis, cadunt & media propoſita ſupra ad finem contendentia. Nam ſi non datur immediata perceptio Eſſentiæ divinæ, fruſtraneum eſt, de Mediis conſulere. Sed nec media illa unquam in praxin deduci

Nota vel Atheismi vel Enthuſiasmi in hypotheſibus Poireti oſtenſa.

De Mediis ad perce-

ptionem Dei immediatam.

deduci possunt: nam quis potest, etiam sanctissimus *objecta omnia, omnesque modalitates passiones ac sensus rerum omnium exuere, quis potest mentem omnibus aliis objectis nec non omnibus affectibus desideriis ac sensibus, quibus tum ad alia quævis, tum ad Nos ipsos trahimur, evacuatam purificare?* verbo: quis potest sine peccato esse, ut sine omni transverso motu ac desiderio impediente ad scopum illum respiciat & ad eum tendat? Annon idem *Paulus* qui se vivere vita Christi scripsit, de se professus est? *quod carnalis sit, quod venditus sub peccatum, se malum agere, quod non velit, facere bonum volenti malum adjunctum, animadvertere se legem in membris suis captivum reddentem legi peccati &c.* nec putandum in alio fuisse statu, cum prius scriberet, in alio cum posterius. Nam in statu Regenerationis fuisse, & adeò in statu gratiæ, ex eo patet, quod profitetur: *se Mente servire legi Dei se delectari lege Dei &c.* Rom. VII, 25. &c. Itaque vitâ Fidei in Christo vivere quis potest, etsi se non evacuare queat omnibus desideriis ac sensibus quibus ad alia trahitur, quàm ad Deum. Nam Paulus vitâ Dei vivebat, & tamen sensibus aliquando & desideriis s. voluntatibus ad alia abstrahebatur, quàm quæ ad Summum Bonum Deum ducebant. Et tamen hoc exemplum posuit *Poiretus in Paulo*, qui finem illum perceptionis Dei per ista media obtinuerit. Et, quam absurdum, quamque stultum est consilium? *cætera omnia objecta præter hoc objectum, quod percepturus es, ac sensus rerum omnium exuere.* Nimirum vanum speculatorem & otiosum esse oportet, qui Deum cognoscere vult:

vult: officiis erga proximum, converſaticni humanæ, charitati Chriſtianæ valedicendum, imò mundo excundum erit. Dicat enim mihi quis, quomodo aliàs ſe liberare queat omnibus aliis objectis? nec ſic tamen poterit; in mundo natus homo eſt, nec ſibi, ſed mundo id eſt in ejus vſus etiam ſeu proximi commodum vivere obſtrictus: mundum in corde gerit, id eſt veterem Adamum, qui non otioſus eſt.

Eliditur Argumentum è ratione, petitum à potentia objecti.

§. LXXXII. Sicut autem male cohærent Media & finis in hypotheſi Authoris, aut ſi concordant; tamen in id quod nihil eſt, excurrunt, id eſt in figmentum immediatæ perceptionis divinæ Eſſentiæ: ita & argumenta ad fulciendum figmentum, nullius momenti, quæ ex SSa attulit, diſcuſſa ſunt. Ex ratione illud urget p. 11. *quod infinitum infinitè efficacius moveat ac ſentiatur, quam finitum.* Quaſi verò Infinitum, quod alteri, ſe percipiendum dat, neceſſariò agat ſecundum virtutem infinitam, & non ſecundum capacitatem & receptivitatem finiti? Et ſi infinitum infinite efficacius movet, aut ſe percipiendum præbet, quam alia objecta homini percipiuntur, ubi manebit quæſo creatura percipiens? num capere poteſt infinitè efficacem motum, cum ipſa finita ſit, num infinitè efficaciter ſentitur infinitum ab eo quod finitum eſt? Ne quidem in futura vita æterna Deus infinitè efficaciter percipitur ab Electis, ſed pro ratione capacitatis creaturæ & ſtatus illius Beatitudinis. Equidem infinita Dei potentia principium eſt operationum in creaturas, quò pertinet operatio & actio, qua ſe percipiendum dat; quemadmodum etiam in conver-

sione secundum excellentem magnitudinem potentiæ agere dicitur : Eph. I, 19. non tamen effectus ejus dici potest, infinite efficaciter sentiri. Deus enim ibi non operatur secundum omnem gradum & vim infinitæ potentiæ, sed secundum capacitatem finitæ creaturæ, & secundum modum mediorum suas operationes dispensat. Fallit ergò Argumentum : Deus est objectum infinitæ potentiæ E. infinitè efficacius sentitur quam finitum. Et tamen ex imbelli isto Achille pendet prodigiosa assertio p. 11. *Hominem in Deo absorberi, sensu suiipsius perdito solum Deum experiri, ita ut non suâ vitâ vivat, sed Dei, unus idemque Spiritus sit cum Deo, in unum cum ipso unitus & consummatus.* Ubi sensus Sp. S. pervertitur, ut supra vidimus.

Aliud Argumentum Poireti consideratur desumptum ab incongruo, si corporalia prædeo sentiantur

§. LXXXIII. Ast inquit porro Author, incongruum est, & perturbatum : *cibum & potum, metallum &c. multò fortius movere & ferire animam, quam perceptionem Entis potentissimi perfectissimi ac infiniti : nam alioqui efficaciores deberent esse impressiones fortioris, quàm debilioris.* Confusa Res : A perceptione immediata sensibilium objectorum materialium argumentatur ad immediatam Dei Spiritus infiniti, falsò suppositam : à naturali s. per viam Naturæ ad eam quæ est perceptio ex gratia. Naturam & gratiam confundit : à

(1) Natura & Essentia Dei infinita, ad effectus indolem. *Num exigua pars materiæ fortius feriet animam? quam Ens infinitum potentissimum?* Nihil obstat : ipse Servator ait : *si terrena dico vobis & non creditis, quomodo credituri estis, si dixero vobis cœlestia :* ubi certè supponit

facilius

facilius pereipi & ad mentem admitti res terrenas materiatas, quam cœleſtes & ſpirituales Joh. III, 12. Imò tota SS. ex hoc ſuppoſito eſt conſignata: fortius & efficacius ferire terrena & materiata animam, ibique facilius & efficacius percipi, quam cœleſtia & ſpiritualia, hinc iſta, ſpiritualia nempe & cœleſtia ſub figuris terrenis proponuntur. Quis lucem accendit è tenebris? Deinde ſi ab objecti potentia ad perceptionis vividitatem & fortem impreſſionem ſit argumentandum; ſpiritus quidem fortius imprimetur ac ſenſibilius percipietur, quam infirmum aut debile corpus. At huic refragatur experientia, quæ teſtatur, fortius & efficacius ſubinde percipi, quæ ſenſibus expoſita ſunt, quàm quæ non: parum eſt, quod percipitur de ſpiritu, nec aliter niſi à poſteriori, ab effectibus, & iis quæ ſcriptura interdum de eo proponit.

§. LXXXIV. Quicquid contra fingatur, omni ſpecie veritatis & fundamenti caret, æſtimium ſc. perceptionis objectorum ex potenti eorum natura, cum objecta non percipiantur ſecundum vim ſuam phyſicam quam habent, ſed prout apta ſunt terminare facultatem noſtram cognoſcendi & ſentiendi, inque ordine ad medium & modum recipiendi. Porrò ſi conſilium Creatoris reſpicias; certum eſt, congruum fuiſſe, ut rationali creaturæ ſe percipiendum præberet; at ut immediate ſeipſum imprimeret animo cognoſcendum, non opus erat, ſuffecit perceptio ad ſanctum Dei cultum neceſſaria, & in via erat conſtitutus homo primus, non jam in vita æterna: cui immediata illa perceptio reſervata eſt: qua ſpecie igitur poſt lapſum gloria immediatæ cognitionis

tribuitur homini, quam nequidem in Dei imagine ante lapſum habuit? Experimur nunc utque in conſcientia noſtra ſtimulos Deum arguentes, & ſuppoſitionem quandam Numinis in Actionibus, fatis, fortunis noſtris, diſcurſumque de Deo exiſtente evidentem & convincentem, via Naturæ, ſed efficacius percipimus & experimur Deum via gratiæ per Teſtimonium Spiritus S. de Dei Bonitate & miſericordia perverbum in cordibus noſtris teſtantis. Quod itaque Naturæ deeſt in efficaci perceptione ſuppletur per gratiam: ubi Deus operatur in credentibus ſecundum fortitudinem potentiæ ſecundum quam excitavit Chriſtum è mortuis: non immediatè ſe percipiendum præbendo, ſed per verbum ſuum illuminando movendo &c. ut ſupra dictum. Et, quamquam inhabitet Deus gratioſe in fidelibus; non tamen in illis immediatè ſe Animo cognoſcendum præbet, ſed mediante verbo divino, & motibus ac operationibus perverbum divinum: à quo ſi ſemel receſſeris, & ad immediatam perceptionem divinæ eſſentiæ & impreſſiones ex illa retuleris cogitationes tuas, nihil amplius ſupereſt, quo limes vanisſimis figmentis poni queat, ipſumque Fanaticismi fundamentum fixum eſt.

Conſideratio triplicis Fundamenti pro Exiſtentia Dei ex immediata ejus perceptione. Primum.

§. LXXXV. Juſtum certe Dei judicium, ut, qui alta ſapere volunt, ultra ſimplicitatem Fidei, id eſt ſapientiam Dei, in reprobum illam præcipitentur ſenſum: ſed attendamus ubertatem hujus hypotheſeos de immediata Dei perceptione, quomodo triplex pro Exiſtentia Dei fundamentum inde extruatur: *primam*, inquit, *hic vides viam cognoſcendi Deum exiſtentem per ſenſum præſen-*

præsentissimum ac immediatum: ipsa enim præsentia Dei vivum existentiæ Dei argumentum est. Ast mi *Poirete!* Præsentem esse Deum omni creaturæ, imò omnia replere, nec otiosè, sed operosè, omninò verisimum est: nec dubium, sanctis & fidelibus peculiari præsentiæ modo operoso adesse intime, eosque gratia sua ornare. Sed num homo aut speciatim fidelis exinde Dei præsentiam operosam immediatè cognoscit, tangit, gustat, Deum præsentem in essentia sua videt, percipit, animadvertit? an verò *signa, motus effectus præsentiæ operosæ* Dei tantum? ex quibus nempe rectè concluditur ad præsentiam Dei operosam, vel universalem illam conservatricem creaturæ & cooperatricem vel specialem gratiosam? Sane posterius Nos scriptura docet, prius merum. cerebri figmentum est. Sic *Paulus* Act. 17. officium quærendi Deum Athenienfibus inculcans, ait: *quærere debere gentes Deum, si fortè palpent eum & inveniant, quamvis non longè absit ab unoquoque nostrum*, sed quomodo quærendus ipsis Deus? & quo medio? num immediatè se percipiendum dabit quærenti? Minime verò: quo ergo? hoc inquam, quod in *Deo vivimus, movemur & summum;* nimirum ex ipsa vita nostra, motu & existentia, quæ non ex nobis ipsis sunt, sed ex Deo & in virtute Dei continuantur, concludendum esse Deum, seu principium primum, causam aliquam primam potentissimam cujus influxu & virtute simus vivamus & moveamur. Mentem igitur reflecte in Te ipsum, quid vides? num præsentem Deum immediatè, quomodo quæso? qua ratione? Te vides, Te sentis, Te percipis, Existentiam tum

vitam, motum, &c. inde verò ad Deum Conditorem, Motorem principium & causam ascendis. Sic in regno gratiæ, Deus in nobis, Christus in Nobis suâ gratia: & quidem Paulus denuò nos ducit ad hujus rei experimentum: *Annon cognoscitis vosmet ipsos, quod Jesus Christus in vobis est?* 2. Cor. XIII, 5. Reflectant ergo pii in semetipsos: num ibi Christum aliter experiuntur, quam Fide perceptum & in gratiosis operationibus motibus & dònis? ostendit Apostolus modum Experientiæ: *vos ipsos tentate, num stis in Fide?* nunc enim subjungit demum: *Annon cognoscitis, quod Christus in vobis sit, nempe per Fidem*, de qua antea. Nec ipsa illa opera, motus, dona Christi gratiosa in nobis aliter experimur, quam in luce Spiritus S. è verbo accensa, ut supra.

Altera via f. Fundamentum Deum cognoscendi ab emotionibus Animæ divinis

§. LXXXVI. Alteram viam cognoscendi Deum experimentaliter in hac immediata perceptione ponit *in notione causæ sensûs præsentissimi ac immediati.* Sed non Entis nulla est causa. Videamus causam hujus ficti sensus: *emotiones animæ intimas* vocat, *& infinitas.* Nempe quia Deus Ens infinitæ virtutis est & suamet præsentia se immediatè percipiendum dat, emotiones animæ intimas & infinitas causatur se ipso intimè animo impresso: igitur emotiones animæ infinitæ prorsus divinæ sunt: Sic Deum existere, videtur ipsa experientia testari. Enimverò illæ *emotiones animæ intimæ infinitæ* æquè figmentum fanaticum sunt ac sensus immediatus. *Vel* enim ab *objecto* oriuntur in quod mens attendit, & in quod reflectit, quomodo manent in ordine *motionis objectivæ*, nec plus virtutis habent, quam quod *immediatè*

ob-

objectum notificant menti reflectenti: *mediatè* verò rem ipsam quam repræsentant, Deum: nec præsentia Dei ibi alia est quam objectiva: ab hac verò ad ipsam Dei præsentiam concludere absurdissimum est, sic enim quicquid objectivè menti præsens est, eo ipso realiter præsens esset, v. g. sol in cœlo, à mente conceptus mihi præsens esset in terra & tamen scribit *Poiret p. 13 Formæ luminosæ, quas Anima detegit luculenter Deum præsentem & existentem indubitatò probant: Vel* à Deo immediatè sunt, Animum suo objecto Maximo attendentem, efficaciter movente & movendo se imprimente ad percipiendum, quod Author velle videtur. Sic enim scribit: *Solus utique Deus est causa immediata & unica, quæ tàm efficaciter & movere potest & illustrare:* hinc vocat animæ emotiones infinitas. Unde & supra dixit: perceptionem immediatam Deum efformare, *quâ Deus nunc hanc nunc illam virtutem divinam singularem vividissime sentiendam, vel totam Essentiam divinam Animæ viva Impressione imprimit, ut Deum singularissimè intelligat.* Hanc vero immediatam perceptionem & emotionem animæ per ipsam essentiam divinam supra confutavimus.

§. LXXXVII. Arguo porrò: Aut illæ emotiones Animæ divinæ, infinitæ, ut sic dicam, (ita enim & *Poiretus* illam vocem circumponit) fortius & efficacius Menti in se reflectenti imprimunt, sistunt ipsam illam Ideam, objectum, repræsentans Deum, aut per illam ideam se ipsæ *realitates* divinæ, imò ipsa essentia divina imprimunt, & sic immediate percipiendas præbent. Si

Contra immediatas animæ emotiones porrò disputatur.

prius,

prius; mens non percipit immediatè illas realitates essentiamque divinam, sed *objectum*, repræsentamen, *notionem*, conceptum Dei in mente existentem, nisi dicere velis; ipsum objectum esse illas realitates, esse Essentiam divinam, ut ita ex Deo vero & realiter existente fiat Deus *conceptivus*, *mentalis*, *objectivus*; aut ex adverso ipsum *objectum* illud, *repræsentamen*, conceptivum esse in Deum & divinam essentiam mutatum, *objectum* in rem ipsam, conceptus in essentiam, quæ concepta est, *idea naturalis* s. naturæ humanæ impressa in ipsum Deum finitum in infinitum, creatura in creatorem, quæ absurda omnia & contradictoria. Sanè nequidem per infinitam Dei virtutem & efficaciam objectum ex essentia sua emovetur sed terminus operationis illius est objecti pro natura sua constituti fortior & luculentior impressio, seu repræsentatio ad percipiendum. Si posterius; si nempe per Ideam s. repræsentamen Dei ceu Medium quoddam ipsæ divinæ Virtutes se Menti insinuant, imò ipsa divina Essentia adeò immediate cognoscenda sit, non in idea illa, ceu Medio tantum adhibito; grande profecto mysterium panditur, & res prorsus supranaturalis ponitur. Hæc nempe: Deum per conceptum Sui naturalem se præsentem sistere Menti & percipiendum immediate dare. Nam cum ultra conceptûs naturam sit, res ipsas præsentes sistere, non potest non Deus hic supra naturam agere.

Deum non imprimere essentiam suorum immediate

§. LXXXIIX. Ast ubi vel vola aut vestigium tanti mysterii est? Deum per Ideam s. conceptum Naturæ animæ impressum seipsum Menti sistere immediate percipien-

cipiendum, & quidem, quod aggravat figmenti turpitudinem, ita ut intime cum homine per illum uniatur Deus, *& insinuetur ac imprimatur, ita ut Deus Ipsi fiat omnia, cunctaque in Nobis formam* Ejus repræsentent, ac sic modo sensibilissimo percipiatur. (1) Unio cum Deo, ut Deus homini fiat omnia in omnibus, &c. est magnum Gratiæ opus, quod Deus non per naturam sed gratiam in Christo dispensat. *In Christo benedicimur omni Benedictione spirituali* Eph. I, 3. *per Christum, per sanguinem Christi propinqui facti sumus* Eph. II, 13. *per illum habemus aditum ad Deum* conf. Col. I, 21. 22. *per Fidem Christus in nobis inhabitat, & in Christo Deus. Omnia in omnibus est Christus* Col. III, 12. Num ergò Christus est illa idea naturalis, *conceptus internus, naturalis*, repræsentamen Dei? turpis confusio verbi mentis, cum Verbo substantiali Christo? (2) Actus ille approprians nobis Christum, & in, ac per Christum *unitivus* cum Deo est *directus*, non reflexivus in Nos, sed in verbum Dei: non enim per id unimur Deo, quando Deum in conceptu in Nobis deprehendimus, aut Fidem in Christum in Nobis, reflectendo animadvertimus, sed unio gratiosa cum Deo antecedit nostram reflexionem, & locum habet, etsi non percipiamus eam, reflectendo in nos. Per verbum Dei revelatum, accipiendo id vera fide, quæ etiam per charitatem operosa, unimur cum Deo, non per verbum naturale mentis in nobis. *Qui me diligit*, inquit Christus, *Sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum & ad eum veniemus, & mansionem apud Eum faciemus* Joh. XIV, 23. Quodnam ergo medium illius adventûs & mansionis

percipiendam per conceptum naturalem

(1) *unio cum Deo fit per gratiam in Christo.*

(2) *unio illa non fit per actum nostrum reflexivum sed antecedit.*

in Nobis? *Verbum*, quod in ipso textu positum est, unde haud aliunde medium petendum. Sed num verbum hoc est idea naturalis conceptus mentis? Minime, de doctrina sua, verbo Evangelii loquitur: verbum quod Ipse revelavit è sinu Patris. Joh. I, 18. de verbo quod est *Spiritus* & *vita* Joh. VI, *potentia Dei ad salutem*. Rom. I, 16.

(3) *non est unio in unum Essentiale.*

§. LXXXIX. (3) Unio illa cum Deo per Christum eusque verbum non facit Unum essentiale Deum & fideles, manet Deus à creatura distinctus, licet sit intima unio, ita, *ut simus unus cum Deo Spiritus*, & *Christus* in Nobis vivat & participes simus divinæ naturæ, non tamen unum *Personale*, *Essentiale*. Tota scriptura Deum à creatura sua distinguit, Essentiâ & Personis, licet cum creatura unitum: Christum diversam & distinctam Personam à sanctis, cum quibus unum est: quod ergò vivunt vitâ Christi, non exinde est, quod Christus & Fidelis una persona sint, sed ob intimam unionem & efficacem influxum gratiosum. (4) Influxus ille gratiosus operosus non se immediate ex ipsa essentia unita Dei dispensat, sed per verbum tanquam semen vivificum, quod est Spiritus & vita, hoc verbum fide apprehensum, gratiose influit in motus & operationes sanctas. Hoc verbum est *Spiritus* & *vita*, & ex hoc cognoscimus, Deum in Nobis manere, quòd de Spiritu suo Nobis dedit. 1. Joh. IV, 13. Remove hunc Spiritum in verbo, sepone verbum, absit Fides; nullus amplius erit influxus gratiosus, non unio mystica. Non itaque immediatè per essentiam suam in nobis nos *illuminat*, *confirmat*, *sanctificat* &c. Sed

(4) *influxus ex unione, gratiosus non se immediatè dispensat.*

per

per verbum ſuum fide in Nobis receptum. Nec immediatè ex Eſſentia Chriſti habemus, quod ejus vitâ vivimus, ſed per Fidem in ejus verbum: Scriptura clamat: vitam nos habere ex verbo ejus vivifico, per quod nempe in nobis operatur & vita noſtra eſt. (5) Hanc gratiam experimur in Nobis, reflectendo in eam & obſervando, quæ adeò in ipſa reflexione & attentione objecti interioris non demum acquiritur ſed ſupponitur, nec reflectendo percipimus in nobis eam per immediatas Eſſentiæ divinæ emotiones in Animam, quod nuspiam docemur, ſed ſenſum gratiæ habemus per teſtimonium Spiritus S. in nobis teſtantis, ſive Spiritui noſtro conteſtificantis, ipſisque gratiæ ſignis & effectu. Atque ſic demum emotiones in Animo ſupernaturales teſtantur efficacisſimè Deum præſentem & exiſtentem. Hinc patet, quid judicandum de tertio nervo pro Exiſtentia Dei ex ipſa Ejus perceptione, vid. p. 10.

(5) *nec experientia illa eſt immediate ex eſſentiæ perceptione,*

§. XC. Non datur itaque perceptio Dei per experientiam talis, quæ modo ſenſibilisſimo ſiat, aut præſenti & peculiari ſenſu, hac ratione quod Eſſentia divina ſe immediatè percipiendum præbeat, ei, qui aliis objectis ſe liberat, & objecto huic maxime attendit. Conſequenter nec *Fides* vera eſt illa hypotheſi nixa: Author tamen illam perceptionem Fidem vocat, & perverſe huc trahit verba Davidis: *Credidi, propter quod & locutus ſum.* Pſ. 116, 10. Fidem nempe illam ſic etiam aliis ſalutarem fore, ſi aliis id loquamur, quod credimus. Enimverò perquam abſurde Fides confunditur cum Experientia ſ. perceptione illa reflexiva, ſ. introverſione

Concluditur, non dari experientiam Dei eſſentiæ immediatam ſui viagratiæ.

tione, ut ita loquar, cum Fides per se sit Actus directus, tendens in verbum Dei revelatum locumque habeat, etsi experientia absit, v. g. in casu tentationis, ut denuò scriptura abundè docet: *Fides est eorum quæ non videntur* Ebr. XI, 1. Fides Poiretiana versatur reapse circa Ideam naturæ impressam, quam ratio cognoscit & videt & per hoc Medium naturale intuitio ipsius divinæ essentiæ continget? Fides non est salutaris nisi in Christo & per Christum, per quem solum habemus reconciliationem, cum Deo, in quo solo omnis benedictio spiritualis, ut supra. Fides hæc Poiretiana salutaris dicitur extra Christum, nec est Fides in Christum; sed perceptio Dei uti in natura representamen eius hæret. Fides salutaris juxta scripturam est per verbum Dei Rom. X, 17. Fides Poiretiana est ex immediata impressione Dei, non ejus quod credendum est de Deo, sed Dei ipsius & ejus essentiæ.

De Notitia experimentali viâ Naturæ.

§. XCI. Hactenus de experimentali notitia Dei in via gratiæ, & hypothesibus *Poireti* ea occasione adductis. Est vero etiam experimentalis Notitia Dei in *via Naturæ*, de qua ex professo Philosophi: deprehendimus enim in nobis stimulos conscientiæ, testantes de Deo, instinctus, tacitas Entis summi, à quo omnia dependent, suppositiones, notitiam insitam, ut supra explicavimus, discursus præterea & ratiocinationes de Deo firmissimas: percipimus & experimur, nos esse, vivere, moveri, habere corpus, principium internum operationum nostrarum, animam, unde ad primam causam aliquam, motorem, principium primum, influens in Esse nostrum, in motus & operationes nostras progredimur. Atque sic reflecten-

do

do non in Animam noſtram tantum, experimur ibi Notitias & discurſus ſolidos de Deo; ſed & in corpus noſtrum; vitam, motum, &c. mediantibus his, adeoque mediante cognitione Noſtrî nos introducere cognitionem Dei in mentem noſtram. Hæc experientia, uti patet, nititur obſervatione luminis Naturæ, in Nobis, indeque deductorum discurſuum de Deo, Noſtri ipſius, aliarumque creaturarum; non ipſius eſſentiæ divinæ afficientia & immediata perceptione. Equidem Deus in regno Naturæ immediato quodam influxu diſpenſat ſe conſervando, cooperando, adeoque reapſe experimur virtutem Dei potentiam ac Bonitatem Dei: neque enim vel ad momentum eſſe, vivere & moveri poſſemus, ſi Deus influxum potentem aufferret. Aſt hunc ipſum influxum Dei non intelligimus mente per immediatam afficientiam & ſenſum illius, uti forma aliqua externa ferit oculos noſtros: ſed per modum Actûs è lumine naturæ eliciti, & Progreſſûs discurſivi, non inquam ita, ut Deus ſeipſum immediatè ſua eſſentia intelligendum præbeat, influxumque ſuum in Nos, quod nullo ſolido Argumento hactenus probari potuit, nec probari poterit. Influit Deus hîc aut communicat ſe creaturæ juxta exigentiam naturalem, ſuppoſita creatione & rerum naturis, naturam autem rationalem poſtulare, ut in cognitione Deus ſeipſum immediate percipiendum & intelligendum præbeat, non modo probatione deſtituitur, ſed & Scripturæ adverſatur, ut ſupra dictum. Hæc teſtatur, Deum præſenter operari in Nobis: ita verò operari & influere ut menti ſe ſiſtat *objective* cognoſcendum immediate, minime dicit.

Contextus hypotheſium ex Authoris ſcriptis. ubi

§. XCII. Sed non morabimur in his amplius: ad Mentem Authoris plenius dilucidandam, quædam ſubjiciemus, variè enim ſe ac diverſimodè explicavit in operibus ſuis, & putare quis poſſit, Eum non deſtitui ſcriptura, Enimverò catena hypotheſium & toties factæ inculcationes ad nauſeam usque mentem viri è cubilibus ſuis evolvent.

De ſinceritate Poireti.

§. XCIII. Cogitemus, quod naturæ quodam ſcito ſtabilitum eſt, Authorem ſincerè, quod prætendit, apud ſe ſtatuiſſe: id eſt revera ſollicitum fuiſſe de ſolida, ipſaque divina revelatione nixa cognitione Dei ac Fide, pertæſum *Idearum Carteſianarum* quæ in fundo utique ſunt ſpeculationes & molimenta rationis, nec per ſe Fidei nucleum exhibere poſſunt, ſicut nec Scholaſticæ aliæ ex ratione inſtitutæ conſiderationes. Vid. ipſe Author *de vera methodo inveniendi verum*, *Parte* I, p. m. 7. ſeqq. pluribus. Hinc & votum ejus profluxit: *utinam omnes Dei ſeſe lumini totos traderent ac divinæ Fidei viam ingrederentur.* in Præfat. II. Oecon. div. iſtaque querela adverſus Cenſores, qui *res à ſe traditas ſtultitias, ac proinde diſquiſitione indignas judicent, ſine examine & cognitione earundem rerum.* De Fide & Ratione collatis §. II. Præfat. Attamen ſinceritas illa Animique integritas in aliis haud æquè ſe prodit. Nàm *primò* ubi Mens ſincerè pia reſidet, ibi ceſſat *præſidentia*, ex qua audax
(1) pronunciatum: *ſive notiones meæ cum decretis Synodorum atque Doctorum conſentiant, aut ab Ipſis divortium faciant, parum ea res me habebit ſollicitum: quia alioquin non ignoro, homines maximam partem affectibus*

ſuis

ſuis eſſe abreptos propriisque commodis & animoſis impetibus tantum non agglutinatos. Oecon. lib. V, cap. 4. Huc pertinet, quod hypotheſibus ſuis non minorem vim tribuit, quàm *veritatibus Geometricis.* Deinde vix à blaſphemia abſolvi poſſunt illa: *etiamſi ſcripturas omnes, omnemque Theologiam ratione mea ſine vacillatione examinaſſem,* (rationem vocat, ut infra patebit, quicquid non immediata illa quam tradit luce ſubſtantiali vel eſſentiali cognoſcitur) *ea tamen divinam mihi fidem dare non poſſunt, niſi fidem mortuam, qualis in dæmonibus & Magis invenitur.* l. c. p. 406. Nimirum quicquid non per immediatam lucem ſubſtantialem internam adprehenditur, id per ipſum non niſi diabolica fide & Magica apprehenditur, ut infra notatur. (2)

Tertiò è recentioribus, innocentem & pium Theologum *Arndium* ſibi tanquam conſentientem allegat, in Argumento gravi de *Juſtificatione*, qui tamen, quantum cœlum à terra ab ipſo diſtat, quod Ipſe non potuit non noſſe. Verba extant in libro de *Fide* & *Ratione.* p. 38. Conferat quis quæ *Poiretus* habet in Oecon. div. de Juſtificatione cum doctrina *Arndii* tum in libris de *vero Chriſtianismo*, facilè deteget differentiam inter album & nigrum; ſed hic eſt mos plurimorum, jactant conſenſum & pacem, ubi omnia perturbata ſunt. (3)

Quartò Multa promittit in verbis, in fundo nihil eſt, jactat Magnalia Dei, miracula, myſteria Animam Deum, fundum in illa infinitum, imaginem eſſentialem in Anima, Patrem Filium & Spiritum S., Fidem contra Rationaliſtas, Pelagianos aliosque & omnia myſteria enervat, nucleumque corrumpit, ad ſuam quam (4)

sibi fingit ideam Fidei, cuncta detorquens, scripturasque ad suas hypotheses cogens, non ex ipsa ultinatò demonstrans.

II. Scopus principalis Poireti & & hypotheses huc collimantes ex diversis scriptis Authoris collectæ.

§. XCIV. In hoc ipso Argumento *quod tractamus*, prodit sese præter supra notata, specimen. Scopus *Poireti* in scriptis ubique principalis est, si juxta charitatem judicemus, Fidem Divinam, Theologiam verè divinam, humanis Ideis, activitati & cerebrinis fœtibus opositam stabilire. Hypotheses huc collimantes, prout eas Author diversis operibus proposuit exasciavit & explicavit, ipsius verbis transferemus huc è Tractatu *de vera Methodo inveniendi verum*, ubi nexum hypothesium breviter & luculenter exhibuit: è libris tribus de *Eruditione solida & superficiaria*: ubi illam fundamentalem seu capitalem hypothesin suam de fundo *Animæ, intellectus passivitate & lumine divino* ibi pro fundamento solidæ Eruditionis substernit: *è Cogitationibus Rationalibus*, ubi ad limam philosophiæ prolixius veritates suas revocat: ex *Oeconomia divina* præsertim, ceu systemate quodam Theologico, & ex novissimis declarationibus in libro de *Fide & Ratione*, collatis, ejusdemque accessionibus. Amstelodami edito. *Primò* itaque juxta Authorem: *Deus Homines fecit res vividas & cogitantes, ut donaret eas vel potius investiret & induceret formis tum sui Ipsius tum rerum omnium.* Explicat rem simili: *si cera esset suorum actuum conscia & verteretur in figuram Alexandri, nosset tunc figuram Alexandri.* De vera meth. p. 56. Cogitantes vocat, non quod Mens sit actio quædam, nimirum *cogitatio* activè accepta,

Prima hypothesis: Deus fecit res vividas & cogitantes.

cepta, *cum potius ſit, tum principium agens tum etiam ſubjectum paſſionem admittens, attamen nullam vocem ad deſignandum id quod in nobis eſt, præter corpus, ſignificationem occurrere, quam cogitationem, ſi quis vocem: Anima etſi obſcuriorem, præferat; non repugnare ſe.* Cogitat. lib. II, cap. 2. Senſus ergò eſt ſimplex: Deum feciſſe hominem, non merum corpus ſed & animam, principium cogitandi habens, ſeu feciſſe ſubjectum cogitans. Cauſam & originem hujus creaturæ cogitantis ponit in eo: *quod Deus ſe ipſum voluit vividè repræſentare extra ſe, præcipuè quoad ſola & mera eſſentialia ſua: l. c.*

§. XCV. Altera hypotheſis: *Modus quibus nos Deus rerum formis induit*, duplex eſt: *realis, vividus, efficax: alter umbratilis picturarium ſuperficiarius.* Method. p. 56. Illum, *realem vividum efficacem* vocat, ubi *Res ipſas percipimus, dum ipſa præſentes reali ſuo influxu in facultates ſibi reſpondentes agunt, eas feriunt, & ſuas iis proprietates verè imprimunt.* De Fide & Ratione p. 28. *hæc perceptio realis eſt, & ſenſationis nomine venit.* Hunc, *umbratilem, picturarium*, ubi tantum *rerum abſentium ideas ſeu imagines percipimus.* De Rat. & Fid. p. 28. Quoad primum percipiendi modum realem & vividum, ejus *Neceſſitatem* paſſim urget. *Si res ipſæ non percipiuntur, prout in ſe ſunt, ergo tantum earum percipiuntur imagines. Si res ſpirituales & divinæ non ſenſu percipiuntur ipſæ realiter, & ut in ſe ſunt; vana eſt omnis religio, vana eſt ſacra ſcriptura, pura puta contimens mendacia, vana eſt beatitudo, imaginaria eſt omnis*

Hypotheſis altera: duplex modus, quo formis rerum induimur: vividus & umbratilis, qui explicantur.

Neceſſitas vividè & realiter percipiendi res ſpirituales.

prædicata æterna felicitas. l. c. p. 34. 35. Sententia Authoris est, non *corporalia* tantum præsentia reali suo influxu & in facultates agentia, ab homine, sed & *spiritualia* realiter percipi. *Modum & rationem* hanc realiter percipiendi illustrat in corporeis ita: *Intellectus sua activitate non est aptus ut vivide & efficaciter induat se & investiat formis rerum, sed jungatur oportet ea moles corporea cui unitus est, rerum objectis, seu effluviis, quæ in illam agunt.* Meth. pag. 59. sensus est: corpus debere ad objecta appropinquare v. g. ad solem, plantas, animalia &c. tunc realiter, vividè & efficaciter formis eorum investiri intellectum, res ipsas reali suo influxu in facultates respondentes agere, eas ferire & suas proprietates verè imprimere, ut supra. *Ubi autem res sunt, ita agunt, nec alias ajacularі possunt emanationes, quàm ipsæ habent & possident* l. c. p. 29. Quoad *Modum* verò percipiendi *umbratilem*, picturarium, ait Author, ibi quoque intellectum investiri ideis seu formis rerum pictis & umbratilibus, sed non vivide & efficaci modo, sed sterili & merè speculativo. Hoc declarat cum studio in lib II. de Erudit. pag. 117. (1) *Ideæ*, inquit, *non sunt res ipsæ, sed in mente substituuntur tanquam picturæ & tabulæ, loco ac vice rerum ac objectorum realium* (2) *Ideæ ab objectis realibus, eorumque affectionibus prorsus diversam habent naturam & proprietates, res ipsæ excitant in mente affectiones & objecta realia, viva efficacia, per se certa luminosa, solida &c. Ideæ verò non sunt res mentem efficientes modis realibus, vivis, efficacibus per se certis, luminosis &c. sed umbræ mortuæ,*

steri-

steriles, valdè obscura &c. Illustrat exemplo: *Sole inspecto, percipis rem veram, solem ipsum & ejus sensationes & affectiones reales, sic vividas, ut inde vigor accedat vitæ tuæ, sic efficaces, ut vim radiorum vix ferre possis, sic solidas, ut effectus inde reales non imaginarios in te deprehendas. Quod si excitearnur in loco obscuro in nobis imaginem, nihil ibi vividi &c.* Adde pag. 119. seqq.

§. XCVI. Hypothesis tertia: *Perceptio Dei, per-* *Hypoth. tertia: perceptionem Dei longè sensibiliorem esse, quàm perceptionem Nostri*
ceptione tum nostri, tum alia qualibet, multò ex se sensibilior, vividior ac fortior est Oecon. I, 1. 9. explicat illam l. c. *Intellectum Dei objecti sui formam vividè induere Deum insinuari ita ac imprimi totum, ut cuncta in Nobis formam ejus repræsentant.* Illustrat alibi rem perceptione nostrum: *Quando perceptiones de me, meisque cogitandi facultatibus intimioribus habeo, tunc me ipsum rem scilicet ipsam cogitantem & spiritualem realiter percepi; idemque de Deo quoque re spirituali potentissima optima, justissima dicere non dubito: perceptiones enim vivida de eo, non possunt ab alio, quam ab illo mihi sic intimis meis præsentissimo & me movente proficisci, inaubitate ipse ego, quoad me certus sum.* de vera Meth. p. 26. Denegat hanc perceptionem realem Dei, ejusque affectionem Diabolo & & pessimo cuivis, quamquam ideas concedat illis l. c. discrimen autem inter ideas, quæ percipiuntur & res quæ percipiuntur cum studio & clare admentem suam declarat lib. II. de Erudit. p. 117.

§. XCVII. Hypothesis quarta: *Perceptio realis vi-* *Hypoth. quarta. Necessitas intellectus divini passivi.*
vida Dei ut in homine obtinere queat, necessarii sunt sen-

ſus, intimi pro rebus merè divinis, vel intellectus intimus ſive divinus, ſoli Deo ſacer. Breviter in *tr. de Ratione & Fide* p. 28. prolixè verò & magno niſu alibi paſſim in operibus ſuis. Nimirum: *Dantur ſenſus externi pro rebus hujus mundi, dantur interni pro rebus mundi inviſibilis, & tandem intimi pro rebus meræ divinis.* de Rat. & Fid. p. 28. Ibidem: *Eſt in homine intellectus externus huic Mundo dicatus, internus, mundo inviſibili aptus & intimus ſeu divinus. Hi tres intellectus ſunt merè paſſivi, reſpectu objectorum ſuorum, eorum namque impreſſiones, prout ingeruntur, ita tantum recipiunt. Præter hos Intellectus eſt activus, quarta ſpecies: facultas quædam pingendi ſeu formandi in imaginatione varias rerum abſentium, etiam quas nunquam vidit, imagines.* p. 31. Ne quis verò tot intellectus ſpecies ægrè ferat, & adeò in vocibus ludat, largitur aliorum loquendi rationem, *dari nempe intellectualium operationum diſtincta genera, & quæ ſuas habent peculiares proprietates* l. c. p. 32.

Hypoth. quinta. Neceſſitas luminis interni divini.

§. XCIIX. Hypotheſis quinta: Neceſſarium quoque eſt *lumen divinum.* Nempe *ſicut requiritur lumen externum* ſolis ad res mundi percipiendas; *ita internum ad res inviſibiles & divinum ad res divinas clarè percipiendas.* Meth. p. 35. de Fid. & Rat. p. 33. 34.

Hypoth. ſexta. Neceſſitas naturæ divinæ in intellectu divino.

§. XCIX. Hypotheſis ſexta: *Intellectus divinus ſ Deo ſacer ſ. qui Deum realiter percipit & vivide, debet naturæ divinæ eſſe.* Oecon. I, 10. 19. *Deus enim non poteſt niſi in ſe & in natura ſua habitare.* Proinde *Deus talem Animam, talem mentem condere voluit, cujus*

ſub-

ſubſtantialiſſima, atque eſſentialiſſima, vel dos, vel naturæ reconditiſſima radix & ſubſtantia ſit fundus vel receſſus quidam immenſus ſive intima nonnulla capacitas & aptitudo quædam immenſa & infinita, quæ ipſam æternitatem, ſive Deum æternum modo unito ſimultaneo & indiſtincto vivido & planè mirabiliter, ſine ulla ſucceſſionis & pluralitatis diſtinctione & duratione admittere, percipere poſſidere valet. Hic eſt ille animæ fundus tantoperè prædicatus. Erudit. lib. I. part. I, p. 8. Conf. Cog. & Oecon. I, 9 10.

§. C. Hypotheſis ſeptima: *Eſt* igitur *Anima humana natura divina, ex Deo nata,* l. c. ſed quomodo divina? *Anima divina eſt, ita tamen ut à Deo differat. Deus enim per ſe ipſum Deus & divinus eſt, anima verò per dependentiam ſaltem & per communicationem Dei* l. c. Rurſus: *Anima non per neceſſariam nativitatem ex Deo eſt, ſicut verbum Dei Deus eſt, ſed per gratuitam communicationem.* Nimirum Anima & Verbum Dei ſ. Filius Dei ut poſtea vocat, unam eandemque originem habent, modo originis tantum differunt, ex Deo ſunt, per nativitatem, ſed anima per gratiam, Filius Dei per neceſſitatem. *Anima itaque verè Deus quidam eſt per gratiam Dei.* An igitur naturam & eſſentiam divinam habet? imò: *Quicquid in Deo per naturam & independentiam, idem in anima eſt per gratiam.* Nonne ergo creata eſt Anima, ut aliæ creaturæ? Minimè! *Homo ratione mentis non ſimpliciter creatur, ſed verè ex Deo natus eſt, perinde atque ipſum verbum divinum. Deus non eſt ſimpliciter Creator, ſed Pater Spiritum. Sic Homo*

Hypoth. ſeptima. Anima humana neceſſaria ex Deo nata.

ſi animam ejus intelligas, verus eſt Dei Filius per gratiam, ejusdemque hæres, & divinæ Majeſtatis templum vivum & poſſeſſor verus. Oecon. I, 10. 16. Aſt ita anima non ex nihilo erit creata? *Si Deus animam produxiſſet ex ſimplici nihilo, ſive ex tali materia, quæ in Idea & natura divinum nullatenus includitur, aliter produxiſſet quàm imaginem, Ideam, Verbum ſ. Filium ſuum æternum* intra ſe producit. Quid tum? An non rectè productio Animæ & Verbi ſubſtantialis diſtinguuntur? Hoc inde ſecuturum eſſet, *quòd non attigiſſet anima Nativitatis Verbi divini Repræſentationem vivam & divinam.* Cur verò non attigiſſet? *quia modus & materia productionis utrisque diverſiſſima fuiſſent, illa ex nihilo facto, hoc ex Deo naſcente.* Sed ita nondum adparet clarè, quid abſurdi aut ſcripturæ adverſum ſequatur? Imò hoc, inquam, *quòd homo ad Imaginem totius divinitatis non factus eſſet.* Quid ergò ſtatuendum denique? Hoc: *cum negari non poſſit, hominem, quantum ad animam, vivam eſſe divinitatis & SS. Trinitatis imaginem, divinique verbi Nativitatem vivide in eo repræſentari, ſtatuendum, ANIMAM ejus NON EX SIMPLICI NIHILO PRODIISSE, SED EX DEO NATAM ESSE.* Oecon. div. I, 10. toto. Attamen *Animæ & Mentes angelicæ jure meritiſſimo creaturæ appellantur.* Oecon. I, X, 20. An ergo ſibi contradicit Author? Minime! ut putat creaturam vocat animam ratione *exiſtentiæ vel ſubſiſtentiæ. At ratione materiæ ſemper fuit in Deo Hanc Deus ex ſe extraxit & dedit, ut exiſteret extra ſe.*

§. CL

§. CI. Hypothesis octava: *Anima isthac divina, ex Deo nata fundoque isto immenso recipiendi Deum prædita habet tres capacitates ad Deum relatas: Desiderium immensum, intellectum immensum, Acquiescentiam immensam.* Erudit. p. 9. Quid vero hoc monstri est? *Desiderium*, ait, *immensum est facultas desiderandi Deum immense, divinique desiderii infiniti impressiones & Actus admittendi. Intellectus immensus est capacitas immensa recipiendi intellectionem sive lucem, seu verbum imaginemque Dei luminosam. Acquiescentia immensa est capacitas immensa, admittendi & possidendi divinam Acquiescentiam, dilectionem, lætitiam spiritumque Dei adorabilem.* l. c. Num verò nihil amplius habet in se nisi capacitates istas in ordine ad Deum? Imo habet: *Orta est in mente facultas accessoria & superficiaria Rationis, quæ aliàs intellectus activus dicitur.* Sed cui fini iste Intellectus activus? *Hæc facultas nullam Æternitatis divinæ, nullam Sanctæ Trinitatis & divinorum attributorum ideam vividam, ut superiores facultates illæ, admittit, sed tantum umbras dilutas, steriles mortuas & velut externas & superficiarias, quas ipsa ratio* efformat. pag. 12. 13. Hic jam se aperit profunditas *Consilii Poiretiani* manifestius, prout Ipse quidem illud prodit: Censura nempe & Reformatio doctrinæ vulgatæ, de lumine divino, motibus Spiritus S. Fide divina. Hîc enim, ait, *non tantum Cartesianos quamplurimos laborare morbo periculosissimo, sed & alios, non Cartesianos.* Sed quisnam est ille morbus? Hic, *quod quamvis divinum lumen, diviumque actum ab Actibus Rationis distinctum verbis profiten-*

Hypoth. octava. Triplex animæ capacitas, ad Deum & intellectus activus s. Ratio.

fitentur, nihilominus tamen de facto nil aliud plerique quam propriæ Rationis actus amplectuntur, ideas steriles & sæpe ridiculas Rationis suæ pro divino lumine, pro scripturarum sive sensus Dei interpretamentis, pro Spiritus Dei Actibus, notionibus, inspirationibus obtrudunt. Ideas de Deo rebusque divinus per rationem efformatas confundunt cum lumine Dei vero & ideis vividis qui in intellectu supremo excitantur, & cum inspirationibus luminosis Sp. S. Gravis certè morbus, siquidem ita se res habeat. Quid? gravissimus. *Errant hi errorem omnium exitialissimum: imò tàm periculosum, ut inde tandem Atheismus emergat.* l. c. Conf. etiam prolixius de hoc agentem *Dissert. Pralim. Cog. Rat.*

Hypoth. nona: Tres animæ facultates activæ.

§. CII. Hypothesis nona: *Eadem Anima divina, quæ & fundum habet immensum recipiendi Deum & Facultatem dilutè & per adumbrationem Deum resque divinas aliasque in ideis sterilibus sibi repræsentandi*, habet itidem quoad facultatem illam s. Rationem, *Desiderium, Lumen, Adquiescentiam.* Quomodo vero hæ differunt à superioribus illis in Fundo admirabili animæ? *Desiderium* h. l. est *desiderium sciendi s. ideas rerum detegendi, vulgo curiositas: nunc post peccati dominium concupiscentia oculorum* Joanni & Augustino: lumen est *lumen Rationis, Ideæ ipsæ, intellectio superficiaria, & activa effectrix suarum idearum. Aquiescentia est adquiescentia in Idearum contemplatione & combinatione quæ aliàs dicitur affirmatio*, quo pertinent etiam *discursus.* De Erud. p. 14. 15. Conf. maj. opera passim. Videmus jam Fundamenta Fidei & Rationis ex parte. Sed nondum

cate-

catena consummata est ad præsens argumentum gravissimum pertinens. Pergamus igitur.

§. CIII. Hypothesis decima : *Anima ita compa-* *Hypoth. decima.*
rata, id est Facultatibus illis instructa non tantum ad ima-
ginem & repræsentationem immensi & æterni Dei ado-
randique Mysterii Trinitatis Patris Filii & Sp. S. condi- *Anima ad*
ta est, sed & ad Ejusdem admissionem, inhabitationem, *imaginem*
immeationem, possessionem, commercium, æternasque *Dei possi-*
perceptiones omnium in bonis & realitalibus divinitatis *dendam*
l. c. p. 9. & Oecon. 1, 10. & cap. 2. Hoc alibi diffundit *condita,*
in distinctiores sensus, velut Oecon. lib. VI, cap. I, §. 14. *quæ est*
Deus semetipsum, qualis est, vividè repræsentare voluit, id *Deus Triu-*
verò fieri non potuit, nisi illa, quæ (quatenus Pater à *nus.*
filio & Sp. S. distinctus) Ipse possidet, Entibus aliis extra
se impertiret: itaque hoc placito, vividè se repræsentan-
di, posito, oportuit, ut quemadmodum ipse subsistentiam
durabilem, potentiam item seu activitatem, itemque Fa-
cultatem sibi similem (filium suum dilectum) producendi
in se habet, idem & homini (hoc est subjecto, de quo agitur) *principium durabiliter subsistendi, potenter agendi, nec non entia sibi similia faciendi seu producendi impertiret.* Nimirum ad Imaginem Dei pertinere putat, sicut Deo naturâ inest subsistentia firma & durabilis, non liberè, ex electione, ita quoque creaturæ intelligenti virtutem subsistentiæ durabilis datam esse, idcò quòd naturæ Entis, quod ex Deo emanavit, conveniens sit, non tendere ad nihilum: sed in statu suo naturali, *subjectivo*, ut loquitur, subsistere semper, ne opus habeat concursu divino & influxu. Contra Scholasticos

& Cartes. Porrò Deum homo repræsentat Trinunum in tribus illis Animæ facultatibus, *desiderio, s. vi volendi Deum immense, intellectu & capacitate admittendi & possidendi divinam adquiescentiam.* Vis volendi enim & desiderium *Patrem* repræsentat : Intellectus lumen, *Filium* & capacitas admittendi adquiescentiam Spiritum S. De Erud. p. 9. Ecce verò etiam specialiorem rationem Imaginis divinæ in homine aliam, ratione multiplicationis τῦ esse proprii : *Cum Deus sit Pater spiritus nostri, iisdem quoque eundem progenuit instructum potentiis. Gignere enim nihil aliud est, quam proprium suum esse, tale quale est, multiplicare, adeò ut naturâ verè similes simus Primæ SS. Triadis hypostasi.* Tr. de Fide p. 49. Præcipua & profundissima ratio hujus Imaginis juxta Authorem est: quòd, *sicut in Deo summa felicitatis perfruitio actualis & infinita Tribus personis in Deo perficitur, adeò ut ipse Deus Pater non nisi in æterno suo Filio per procedentem ex utroque Spiritum S. Amoris beatitudine fruatur ; ita etiam fruitio Beatitudinis*, cujus inevitabile desiderium in animo fixum est, non aliter in homine perficiatur, adeoque imago illa Dei omnibus numeris absoluta sit, quàm hoc modo, ut homo *Deum suum sentiat, & intelligat, & in eo lætetur*, Tr. de Fide &c. §. 78. & 93. pag. 45. 50. Porrò: *sicut* ergò Deus *beatitudine* sua fruitur, ita voluit etiam in hoc compleri imaginem suam *ut homines fine suo plenè potiantur.* Addit Rationem urgentissimam : *Non enim congruit immenso* Dei *Amori in creaturam suam prepriamque progeniem, divinis illis eam adornasse potentiis, nisi & ipse se iis intimè unire,*

unire, ipſemet & ſua ſubſtantia eos replere, & totus denique ipſe eos inhabitare, in iis vivere, ipſamque ſuam vitam iis communicare & impertiri dignetur, ut homo ita ipſum Deum *ſuum infinite infinitis modis ſentiat, intelligat, & de eo & in eo delicioſiſſimè ſummo & ineffabili Amoris exceſſu liberrimè lætetur.* De Fid. & eò pertinentibus pag. 50.

§. CIV. Ut hæc res melius intelligatur, cum ferè fundus totius doctrinæ *Poiretianæ* ſubſiſtat in ea; ſollicitius Mentem viri inſpiciemus, ne deinceps cum umbris pugnemus. Ex hactenus adductis patet: per Ipſum (I) Deum in ſe & ſua natura ac Eſſentia conſideratum non poſſe non eſſe Trinum, Patrem Filium & Spir. S. nam cum in ſe ſolo tanquam ſummo bono adquieſcat, ſibique ſufficiat, neque ad beatitudinem ſuam eſſentialem quicquam amplius requiratur; concipienda irrefragabiliter venit Vis aliqua in Deo, volendi, tendendi ad ſummum Bonum, quæ ſi ponatur absque effectu & fructu, Deus neceſſariò poneretur in tenebris, angoribus, cruciatu & velut in inferno: Inde (2) Vis illa volendi ſ. deſiderandi conſequenter tendet ad aliquod Bonum, & quidem reale, quo fruatur, quod hîc aliud nullum poteſt eſſe, quam Deus ipſe, divina eſſentia, non in conceptu ſeu idea aliqua facta, ſed realiter & immediate: quomodo jam neceſſaria oritur relatio aliqua in Deo inter volentem, deſiderantem & ut ita loquar, anhelantem, & inter id quod deſideratum, volitum eſt, ad quod non poteſt non propellere Deus omnes quaſi virtutes ſuas, id eſt ad Seipſum, quomodo jam Verbum in

Ulterior Explicatio hypotheſeos decimæ ubi

(I) *Patrem & Filium in Deo neceſſariò eſſe.*

Deo producitur, & in verbo lux illuminans totam Deitatem, in hoc verbo enim producto Deus Seipsum cognoscit, & hoc Verbum est ipse Deus, non enim aliud ita, sed Seipsum intelligit, illud substantiale & essentiale Summum Bonum; & Deus ita ad objectum tendens nempe Seipsum, ceu Facultas seu vis intelligendi actuatur quasi suo objecto, & ad actualem cognitionem in qua & actus est cognoscendi, & objectum quod intelligatur, determinatur. Sine hoc objecto tenebræ essent, miseria; quæ in Deo concipere implicat. Ergò & Facultas in Deo intelligendi, cognoscendi Seipsum, & in seipso omnem sufficientiam, summumque Bonum necessariò & irrefragibiliter ponitur. Ast illa ipsa intellectio actualis Dei sui Ipsius quid aliud est, quam verbum Mentis divinæ, ubi Deus intra Seipsum dicit, pronunciat, cognoscendo, intelligendo seipsum. (3) Cumque Deus non possit non Seipsum ita intelligere ac cognoscere, tùm quod est sapientia perfectissima, tùm quod est essentialis beatitudo, ita ut omnes vires s. Virtutes divinæ naturali & insita necessitate ac infinito nisu huc propellant, atque sic intellectus divinus veluti fœtum, verbum concipiat, cogitando seipsum: jam Deus ut cogitatus in divina essentia, necessariò signatur, & ut ita loquar characterisatur Relatione inter producentem & productum, & ut scriptura loquitur inter *Patrem* & *Filium* qui termino Artis duæ Personæ vocantur.

In Divinitate etiam necessariò esse Spiritum S.

§. CV. Utemur hic iterum *Poireti*, cujus sententiam explicamus, verbis: *Divinitas est actuosissima, ideoque*

que neceſſariò conatur & operam adhibebit, ut id quod inſtanter deſiderat, obtineat, tandemque & omnipotens eſt, ac id Ipſum, quod vult, in ſua habet poteſtate, unde ſeipſum deſideratum neceſſariò attinget. Ita ergo divinitas originaria, vivens & actuoſa, hoc eſt Deus Pater *independens & liber per deſiderium tenebroſum, per Activitatem inquietam, per conatus vividos, perque potentiæ ſuæ impetum mediis in tenebris lumen ſuum & media inquietudine amorem, gaudium & pacem in ſe producet. Ita in* Deo *liberè & neceſſariò* NASCETUR *is qui Ipſius imago eſt eſſentialis: Idea, Primogenitus, lumen, Veritas, Verbum æternum* FILIUS DILECTUS. *Id eſt:* Divinitas *ex ſeſe & omnibus Virtutibus ſuis intra ſe naſcens & erumpens ut ſemetIpſam illuminet & atque cognoſcat* Oecon. I, 14. 15. Deus *autem in hoc lumine & imagine perfectiones infinitas videns, infinitè iis fruitur,* & in hoc Filio ſuo adeò ſuis deſideriis ſatisfacit. Hinc fluit Amor fruens, Adquieſcentia, gaudium &c. Id eſt SPIRITVS S. PROCEDENS cum ſuis fructibus. Atque *ſic non poteſt non in Patre æternùm ac neceſſariò naſci Filius, & ab utroque Spiritus S. Amor ille procedere.* Oecon. I, 14 15.

§. CVI. (II) Hujus Dei neceſſariò Trinunius per Seipſum Beati *Imago viva neceſſariò conſtat his requiſitis eſſentialibus ſolidis & inſeparabilibus: Fundo Animæ divinis facultatibus præditæ, deſiderio, intelligentia, adquieſcentia & libertate, iisque à Patre, verbo & Spiritu S. poſſeſſis.* Oecon. I, 20, 3. *Præter hanc prærogativam eſſentialem, qua pura divinitatis imago eſt, gerit homo*

Dei Trinunius ſeipſum poſſidentis Imago in homine.

etiam characterem accessorium representandi conceptum arbitrarium, commercium Dei *cum creaturis, in Ratione eiusque ideis naturalibus &c.* Ex quibus facilè intelligere est, Authorem ad ipsam essentiam naturamque seu formam Imaginis Dei intrinsecam inferre Inhabitationem SS. Trinitatis in Anima, indeque deducere omnem scientiam, notitiam, cognitionem idealem. Prioris illius assertionis Fundamentum alibi explicat, & in eo ponit: (α) Deus *in solo Filio per Sp. S. seu in lumine per Amorem suum sibi complacet, & in eo adquiescit, & nulla re alia oblectari potest.* Oecon. I, 14. 20. p. 204. (β) *Animam itaque productarus non aliter producet, quam contemplando Filium suum, & ut filium suum ac Sp. S. NB. in ea ponat: seu ut dato ei, tum Filio, Formâ sua divina tum Sp. Sancto perfectionem ejus consummet.* l. c. (γ) ut ergo esset *basis nunquam peritura, animæ, materiam ejus seu naturam* Deus Pater *ex seipso extraxit, & dilectissimi sui imaginem imposuit, ut sit Filii domicilium, in quo festive ipsum excipiat, & amores & gaudia solenniter celebret.* l. c. (δ) Quod ait: materiam animæ ex Deo extractam esse, hoc explicat ita: *ex virtute & capacitate infinita, qua* Deus *seipsum desiderat & sentit, volente eo nata fuit cogitatio hominum vivens & volens &c. quænam autem fuerit emanatio animæ ex* Deo *egredientis & nascentis, neminem scire, sed solum* Deum. Attamen alibi notat: Deum Patrem *ex essentia & proprietatibus suis effluvia quædam essendi & proprietatum, quæ Naturæ creaturarum partem, aut potius ipsam earum naturam constituunt, emittere posse.* Oecon. VI, I. II. p. 637. Conf. II. 13. p. 638.

§. CVII.

§. CVII. Hypothesis undecima: Ista Inhabitatio & immeatio Dei ita essentialis est & intrinseca Imagini Dei in homine, ut in intellectu *objectum immediatum sit ipsa Sapientia Dei Archetypa, mediumque cognoscendi ipsum substantiale Dei lumen* de Fid. p. 55. *ubi Deus aliter sentiri & intelligi non potest, quam revera Ipse est, totaque hac res à reali ejus pendet influxu ut immeatione seu luminis substantialis in facultates illas.* Verbo: Imago Dei in homine est substantialis, ipse Filius Dei, Sapientia Dei Archetypa. Nimirum homini à Deo quædam communicata sunt communicatione *subjectiva*, ut loquitur Author Oecon. I, p. 635. id est: qua id cujus homo fit particeps, pars fit illius v. g. existentia, vita, activitas, intellectus, voluntas: quædam communicatione *objectiva*, qua communicatum non fit pars naturæ, sed objectum ejus est: *Sic lumen divinum hoc est Filius Dei non est pars hominis sed Objectum intimum inhabitans, non tamen naturale, essentiale* Oecon. VI, 1. 7. puta non naturale constituens & consequens naturam, attamen *perficiens, beatificum*, ut loquitur p. 637. l. c. Hoc *gratiæ* donum, illud *naturæ* vocat. Alibi: *Hoc solum ad felicitatem substantialem æternam & perfecte possidebatur, atque ita anima beatitudinis suæ perfectionem completam & necessariam attingit, quòd ad Imitationem Dei facultates animæ, desiderium, intelligentiæ, adquiescentia ad divinum lumen & gaudium, quod antea & alibi vocat Filium & Sp. S. adspirant, & iis implentur, atque ita homo imago viva Dei est:* dum nempe Filius Dei & Spir. S. in ipso nascuntur & procedunt. *Hypoth. undecima. Imago Dei substantialis.*

§. CIIX.

Hypoth. duodecima. Deus homo factus, qui est Christus, jam in statu Imaginis divinæ.

§. CIIX. Hypothesis duodecima: Neque Deus in statu Integritatis tantum superioribus facultatibus se immediate percipiendum dedit, sed & *inferioribus & sensibus statim ex quo homo creatus fuit.* Sed quomodo? *Corpus quoddam particulare assumpsit, id ipsum mente creata animavit, & se arctissimè per verbum & amorem sui sibi univit, ut ita ipsum Deum corpore ac anima indutum viderint.* Oecon. lib. II. cap. XI, §. 18. seqq. ubi pluribus vid. Explicat enim hoc mysterium ita, ut dicat: *Deum jam tum hominem factum, corpus ex primo homine assumpsisse, sic Filium, fratrem hominis factum, Adamum secundum, quomodo scriptura Christum vocet, qui sit idem ille* Deus, *Verbum æternum humanæ naturæ junctum: Hunc* Deum *magnum Scripturam vocare Jesum Christum: Hunc homini corrupto & bruto se subtraxisse, vidisse tamen, conversatione sua familiari è peccato & morte eum eripere posse, & corpus suum glorioſum eò redegisse, ut instar hominis mortalis, miseriis eorum gravatus nasceretur.* Oecon. lib. II, n. 17. 18. seqq.

Hypoth. decima tertia. Amissio Imaginis divinæ in privatione inhabitationis Dei.

§. CIX. Hypothesis decima tertia: *Homo primus libertate & facultatibus suis abusus lumen & Amorem* Dei *perdidit, & sic omnes homines, quotqot ex eo egressi sunt, lumine & Amore* Dei *destituuntur.* Oecon. lib. II, 15. p. 338. illo nempe substantiali, Filio Dei & Spiritu S. & hoc est *peccatum originale.* Rei explicationem uberiorem vid. l. c. & adde Tr. de Fide & eò pertinent. p. 59. seqq. adde Oecon. II, 4. 5. 6. & seqq. capp. præsertim 13. 14. 15. Hypothesis decima quarta: *Cum homo non posſit propriis viribus se in pristinum statum reducere,*

Hypoth. decima quarta. Restauratio.

luminis-

luminisque illius & gaudii particeps fieri, sed solus Deus pro sapientia, Misericordia, potentia beatitudine & veracitate id facere possit. Tr. de Fid. p. 66. *Ipse, se iterum offert, gratiæ opus perfecturus, & omnipotentis sui LUMINIS SUBSTANTIALIS SCINTILLAM in tenebrosum hominis fundum jaculatus est & quasi Eidem incorporavit se, ut intra se haberet regnum Dei.* Tr. de Fide & eò pert. p. 66. Ast quæ qualis illa scintilla? *Ipsum* ait, *substantiale Dei lumen & æternum Verbum, Filius nempe Dei, Verbum in centro Animæ fixatum: à Patre in Fundo intimo Spiritus nostri pronunciatum, immediatus Effector salutis.* de Fide p. 67. *Hoc vivum substantiale Dei lumen in Nobis uno sensu FIDES appellatur. Est donum Dei substantiale* l. c. Et in Oecon. V, 4. 30. *Dubitari non potest, quin Fidei lumen sit Ipse Deus aut Dei Filius ac Verbum æternum, animam illuminans,* & §. 31. *Solo Verbo interno ex ore Dei procedente & in fundo cordis pronunciato ac genito nutrimur. Absque luminoso hoc principio, ne ultra quidem bonam cogitationem habemus.* de Fid. p. 68. *Ab hac Fide, lumine substantiali est, quòd aliquem de Deo sensum habemus, veramque cognitionem* l. c. p. 74. *Hæc Fides, hoc lumen substantiale est salutis & Justitiæ nostræ causa efficiens: Forma quoque Justitiæ absolvitur hac Fide hoc lumine* l. c. p. 70. Hoc ostendit l. c. & p. 50. §. (α) *Justitia nostra in divina in Nobis imagine consistit* p. 71. (β) *divina in Nobis imago perfectio nostra, complementum est, Deo frui, & sicut Pater* inæterno suo Filio per Spiritum Amoris beatitudine fruitur, ita homo in eo imaginem Dei gerit, in eo perfectus est,

per Scintillam Luminis Substantialis, juxta Poiretum.

Quod est Fides.

Quodque Justitiæ & salutis causa efficiens & formalis est.

quòd in lumine ſubſtantiali Filio Dei beatitudine fruitur, per Spir. S. inde procedentem. *Hæc Fides, hoc lumen non jam ut Dei ſed ut in Nobis & noſtra reputatur Juſtitia: quod eſt, Fidem nobis imputari, tanquam noſtram, non ex operibus ſed mera gratia* de Fid. p. 71. 72. 73. Et tamen hæc Fides nihil aliud quam conſcientia eſſe videtur. Sic enim ſcribit: *quod aliquem de Deo ſenſum habemus, ab hac Fide eſt* p. 74. Ad ſuperius tamen lumen hunc ſenſum refert.

Juſtitiaq; Nobis imputata.

§. CX. Hypotheſis decima quarta: *Huic lumini ſubſtantiali, Verbo interno Filio Dei illuminanti homo ſe penitus permittere debet,* inque illud ceu pignus æterni Amoris fiducia collocande. Tr. de Fide p. 68. p. 153. ſeqq. Prolixius autem in Oecon. I, 9. 12. p. 129. & p. 125. (1) *Cum nulla facultas omnium angelorum & hominum ullam vel minimam SCINTILLAM luminis divini efficere poſſit, aut DEUM in anima producere; nec IDEA, quam anima naturaliter de Deo habet, ſeu ejusdem conſideratio, quæ ex eadem reſultat, divinum lumen verum & proprium ſit, ſed Deus ipſe in Fundo cordis apud omnes homines, per modum gratiæ prævenientis;* Oecon. V, 4. 6. *nihil reliquum eſt, quod creaturæ hic attribui poteſt, quam mera extrinſeca excitatio, ut huic lumini divino ſe tradat.* de Fide §. 182. p. 75. *Hæc Traditio ſeu reſignatio ſui eſt pura & indeterminata, qua tum ſe tum omnia, quæ ſui ſunt Juris, ſoli Deo tradit, quò Ipſe in omnibus agat ut Deus & Dominus abſolutus, &c. Hæc Traditio animæ tradentis ſe Deo, quatenus in ſola & pura divinitate conſideratur, ſola & unica eſt via Deum intra ſe*

Hypoth. decima quarta: Permiſſio, Reſignatio ſui huic lumini.

pure

pure Deum admittendi. Et hæc FIDES eſt ſ. Actus Fidei, quam Deus ab homine exiſit: traditque ſe ita homo Deo *per libertatem ſuam in anima.* Oecon. I, 9. 12. Sed quid hic audio, antea lumen divinum dicebatur Fides, nunc eſt Actus hominis: ita eſt, plures ſignificatus habet illa vox: ſic enim Author porrò l. c. §. 6. *Fides aliâs notat (1) capacitatem Animæ, qua Deum admittit, quam facultatem Fidei vocant: Aliàs (2) ejusdem facultatis actus, deſiderium, vacuitatem, ſui traditionem, (3) aliâs objectum ipſum in Facultatibus præſens, easque poſſidens & illuminans: vel etiam (4) actum illuminantis & tranquillantis objecti.* Sic ergo ipſe Deus erit Fides: Fidei lumen, ut Author etiam loquitur l. c.

§. CXI. (II) Obſcuriusculum videtur, quomodo illa traditio animæ aut reſignatio Deo facta ſe habeat: notamus ergò Authoris declarationes de ea: (α) Conceſſit Deus Animæ capacitatem quæ ipſum continere, admittere & deſiderare queat. Oecon. V, 4.9. (β) ut autem admiſſio illa, deſiderium illud actuetur vel in actum traducatur, non ſola anima efficit, ſed Deus movet eam, excitat ad deſiderium Dei, vel *potius Ipſe in Animæ deſiderat*, ubi ex parte hominis pars paſſiva Animæ concitatur, ipſa anima autem lumini à Deo ſibi intus detecto id eſt Ipſi Deo deſiderium adplicat, & ſic format actum *Fidei naturalis* ſ. fidem activam, quæ adeò nihil aliud eſt, quàm deſiderium à Deo præventum & excitatum quod ad Deum fertur. Oncon. V, 4.7. Deus autem uti excellentior eſt anima, ita etiam excellentius deſiderat, non erga anima in proprio actu deſiderii ſubſiſtit,

Qualis illa Reſignatio ſit, ubi capacitas, deſiderium naturale.

sistit, qui nec admissione Dei proximè dignissimus est; quando agit anima quod sui officii est (quod ipsum fides illa naturalis est) id est, quando desideria à Deo requisita offert, Deus Pater essentiale desiderium divinitatis se insinuat, & ejus desiderio se modo planè particulari unit, sic Deus non tantum dilatat, exaltat animæ activitatem, sed etiam ex divino suo desiderio & animæ unum facit, & sic emergit *fides supernaturalis*. Atque ita infinita & Deo digna animæ capacitas actuatur. Oecon. V, 4. 8. 9. 10. (γ) Hoc infinitum Deoque dignum desiderium anhelat lucem Filii & adquiescentiam amatoriam Sp. S. Sic Filius & Spiritus S. substantialiter, habitaturi descendunt in animam, replent eam, vivificant, transformant, & ita modificant animam, quomodo nullus, nisi Deus Verbi sui divini sanctique Spiritûs præsentiâ immediata possit facere. Ex his de causis Resignationis animæ, ut Author eas concipit, facile constat: Deus nempe Ipse in anima Se desiderans, se unicè, purissimè, sine admixtione ullius boni volens, se jungit desiderio activo hominis naturali, ut ita unus fiat actus, dignus inhabitatione Filii & Sp. S. cujus inhabitationis & perceptionis adeò lucis substantialis & Sp. S. dignitas unicè dependent proximè & immediatè ex ipsius Anima natura divina, & Dei Patris in anima desiderio.

supernaturale.

Natura & indoles Resignationis, ratione objecti,

§. CXII. (δ) Natura verò Resignationis, ipsa indoles interior æstimanda est haud dubiè ex principaliore concurrente, Deo nimirum, qui sicut desiderio suo excludit omnia alia objecta extra se, ita ut in se purissimè sine ulla admixtione acquiescat; ita etiam ipsum natura-

lem

lem actum hominis desiderium activum tingit, exaltat in illam naturam, ut omnia alia extra Deum excludat, solumque Deum in se adquiescentem repræsentet. (ε) Hæc traditio Animæ, resignatio proinde non potest respicere Deum, certa bona nobis largientem, sic enim Deo se pure non resignaret, sed per respectum sui respiciendo creaturam: nec certo modo nobiscum agentem, veluti per imagines, literas: sic enim Deo præscriberemus præsentiæ & fruitionis modum, sic Denuo imaginem in mente statueremns, quam induat. *Oec.* I, 9. 12. E. Deus non aliter admittitur in animam, quàm, si illa indeterminatè se Deo tradat. *Arg.* (ipse Author enim subinde quoque formam ratiocinandi adhibet) Quæ via Deum respicit & ipsum quærit sub ratione largientis bona, & certo modo nobiscum agentis, ac determinati per figuras imagines, signa &c. ea non est via puræ resignationis, per quam Deus animam ingredi potest, juxta *Poiretum*. A E. (ζ) ex eodem fundamento in hac resignatione & traditione Animæ non potest illa via placere, si quis insistat meditationibus, studiis certis cognitionibus, quæ humani sunt arbitrii: traditio debet esse per quietem, vacuitatem ab ideis omnibus, etiam ab ideis Dei & divinis operibus, nam ut Deus recipiatur, necessariò adesse debet vacuitas ab omni creatura. *Arg.* Q. traditio debet esse vacua ab omnibus creaturis, ut Deus ipse sibi sufficiens, & in se adquiescens, illa excludit ideas Dei & meditationes operum Ejus. A. Traditio & resignatu Animæ Deo placens. E. vid. *Oec. div.* I, 9, 13. 14. Miraculosa certe Fides! non meditabanda, non ideas Dei non opera Dei

Dei, nempe sine ullo respectu veluti largientis bona & per literas agentis.

respiciens, vacua ab omni objecto quod est creatura.

Adeoque etiam conceptus è SS. excludit illa resignatio

§. CXIII. Considerationes tamen naturales Dei & divinorum operationum: (Poireto omnes operationes sunt naturales, quæ non ex immediato lumine substantiali procedunt) possunt media præpararoria esse, l. c. *Sed quid de Ideis seu conceptibus ex verbis scriptura & revelationi efformatis statuendum? num & ab illis in resignatione & animæ traditione abstinendum?* Animadvertamus Responsiones Authoris) Oecon. div. V, 4, 47. p. 420. (1) *Ideæ illæ s. conceptus ex SS. non nisi viæ quædam sunt, quæ ad Fidem tendunt, viæ mutabiles, præsentes, variatæ, requisitæ, non requisitæ, pro ratione temporis, personarum, ac innumerarum circumstantiarum particularium.* Egregia commendatio veritatum è SS. perceptarum, quæ pro ratione temporis variari, mutari possunt. Author tamen inventi enthusiastici testimonia in illis quærit: sed attendamus porrò: (2) *illæ viæ tam parum ex se salutares sunt, ut & in diabolis inveniri possint.* Hæc scilicet est illa Davidica commendatio verbi divini in Psalmo decimo nono & Psalmo centesimo decimo nono. (3) Sed pergamus: *ubi ideis illis ex verbo Dei inhæretur & fiducia in iis ponitur, in idola mutantur.* Quid denique quæso fanatici non facient ex sensibus & perceptionibus Verbi Divini? qui huic verbo divino credit, quid aliud facit, quam quod in Authoritate dicentis Dei adquiescit? eique confidit? hoc Poireto idololatricum est. Nondum elenchum instituimus, sed in recensendis adhuc & dilucidandis hypothesibus cordis dolores evoluimus, inter veritatis professionem simpli-

ſimplicem. Aſt quid porrò monſtri alit Poiretus? conceptus veros & falſos hic in eandem claſſem collocat. *Quisquis*, inquit, *putat, ideas particulares de rebus divinis ſive veras ſive falſas, fidem veram conſtituere ſive formare, fallitur hallucinatione graviſſima.*

§. CXIV. Perinde igitur facit, qui Miſericordiam Dei, Meritum Chriſti, vitam æternam & ſimilia Fidem conſtituendam ingredi ait, quam qui quascunque falſas ideas ſibi fingit? Quid ergò, num fortè reſignatio & traditio Animæ cum fructu fiet, licet falſæ ideæ, imo *gentiles, Mahummedanæ Judaicæ ſubſtituantur* pro Mediis præparatoriis & adminiculis ad ingrediendam unionem cum Deo? Utique: *Aſſeveranter dico*, ait Author: *ſi quis animo ſuo peculiares cognitiones aut ideas de rebus divinis infigeret, iisque ceremonias, quas divinas eſſe, aut Deo gratas bona fide credit, exerceret: imò ſi cognitiones & ideæ particulares NB. revera falſæ deprehenderentur; ſi tamen iis nullatenus homines ceu ſummæ rei adhærentes adquieſcerent, ſed tantum velut inſtrumentis animum præpararent, atque Deum præ omnibus anhelarent, Eique intellectum, cor vitæque regimen traderent, ut ex ipſis ad placitum faceret, quod velit, quòd veræ Fidei ſalutaris primitias adepti* (nempe in traditione illa & reſignatione Animæ Deo facta, quam Fidem ſalutarem ſupra deſcripſit & intelligit) NB. *in via & ſtatu ſalutis forent conſtituti, ſive inter gentiles, ſive Turcas, ſive Judæos ſive inter alios quoscunque viverent.* Oecon. V, 4, 47. p. 420. & p. 405. §. 29. adde plura ibidem *de Fide implicita & Fidei adquieſcentia*. Perinde igitur erit, quibuscunque notionibus & Ideis de Deo rebusque divinis ſit inſtructus, ſive ſit *Judeus*, ſive *Turca*, ſive

Adiaphoria Religionum.

sive *gentilis*, sive *Christianus* isque vel *Pontificius*, vel *Calvinianus &c.* si modò Fidem resignationis illius habet. Et sic *orthodoxia* & *hæresis* erunt non entia: Imò *monstra impostur arum*, Oecon. V, 4, 57. Imò *idololatriæ*, cum *orthodoxi* non nisi *idolis* & *vanitati*; se dederint l. c. Quid ergo est vera orthodoxia? *Fides resignationis sola & vera est orthodoxia, in qua nec hæresis ulla nec errores sontici.* l. c. ubi *falsissimæ quæque opiniones & ideæ subjectum orthodoxiæ sunt, & cum ea conspirant.* Sed quid hæresis? *ubi notionibus Ideis sive veris sive falsis adhæretur ceu rei summæ ac scopo.*

Orthodoxia quid sit juxta Poiretum

Hæresis quid.

§. CXV. Vides, nisallor labyrinthos Mentis *Poiretianæ*, in qua, quicunque propositiones de Deo & rebus divinis sive veræ sint sive falsæ, sive gentiles, sive *Judaicæ* persuasiones sint, ceu præparatoria usurpet tantum, & se Deo totum resignet, ipsumque amet, in statu salutis est, veram & salutarem fidem habet: & per hanc viam particeps fit felicitatis illius veræ, quæ est in Fruitione Dei & immediata perceptione viva luminis, substantialis, & adquiescentiâ s. Amore Dei, gaudio in Deo, ita, *ut homo Deum suum infinite infinitis modis sentiat, intelligat, & de eo & in eo delicioſissimè summo & ineffabili Amoris excessu liberrimè lætetur.* de Fid. p. 50. 51. ita *ut Deus illi totus imprimatur, imò intellectus hujus objecti sui formam vividè induat, & in eam quodammodo transformetur, ita ut cuncta in Nobis formam Ipsius repræsentent.* I, 1, 9. hinc emergit *Hypothesis decima quinta*, & *ultima*, huc quidem pertinens, quæ intentione prima & veluti fundamentalis in ædificio Authoris est: *Deus se modo vividissimo imme-*

Hypothesis decima quinta, De vera Dei fruitione

immediate, id est, non in idea, non perspeciem, nec abstractivè tantum, sed substantialiter & in sua essentia percipiendum, fruendum præbet. l. c. in Patre nempe Filio & Spiritu S. ceu realiter & essentialiter summo Bono.

Summa Doctrinæ Poireti huc pertinentis.

§. CXVI. Summa Doctrinæ Poiretianæ huc pertinentis est: FIDEM Divinam non in Verbo Dei ejusque veritatibus perceptis hærere, sed ulterius per has, aliasque sive veras s. falsas notiones ac perceptiones ad lumen immediatum, se ex Deo immediatè dispensans, contendere debere, ita ut homo se illi absolutè & sine respectu ad particulares ideas s. conceptus permittat: Hanc permissionem vel resignationem sui absolutam esse proximum medium, proximam viam ex parte hominis recipiendi lumen substantiale, Filium Dei, in ipso nascendum, ex quo procedat Amor substantialis ipse Spiritus S. Sic Hominem immediatè Deum vividissimè cognoscere, eoque frui realiter, eumque sentire & percipere. In hac FRVITIONE & PERCEPTIONE DEI vivida positam fuisse naturam s. essentiam IMAGINIS DIVINÆ principaliter, ut, sicut Deus Seipsum realiter sentit, percipit, seque ipso tanquam S. Bono fruitur, ita quoque homo ipsum Deum immediatè percipiat & vividè sentiat, eoque tanquam S. B. fruatur. Sic hominem reapse in se repræsentare IMAGINEM DEI SVBSTANTIALEM, PATREM gignentem in se, VERBVM SVBSTANTIALE, FILIVM & inde substantialem AMOREM Spiritum S. procedentem. Hanc imaginem ita *objectivè* & ut Donum gratiæ acceptam in primo Homine extitisse, libertatis verò concessæ, itidem repræsentaminis libertatis

divinæ abusu eundem eam amisisse, neque suis viribus in æternum se restituere potuisse, idque ita factum esse justitiæ lege, *neque enim justius quippiam aut inculpatius concipi posse, quam ut cuique eveniat, quod elegit.* Oec. I, 17, 5. cumque proinde se homo & facultates suas à Deo averterit, Ipsum quoque Deum ab eo se avertisse, atque sic dono admirando S. Boni substantialis Dei possessione privatum esse. Ut autem homo restitueretur ad pristinam felicitatem, & Imago hæc divina substantialis in eo restauraretur, Deum per modum *gratiæ prævenientis* LVMINIS SVBSTANTIALIS SCINTILLAM, in fundum supremi Spiritus hominis ejaculatum sic verbum DEI VIVUM & SVBSTANTIALE intimè in hominem pronunciatum esse in PIGNVS RESTITVTIONIS. Qui igitur aliis luminibus ideis &c. ex corde renunciet, & se lumini substantiali permittat, Deoque se in solidum resignet, in eo illam Scintillam, quæ velut semen quoddam sit, in quo Regnum Dei contineatur, & inhabitet, omnia penetrare, tingere & illustrare, & sic Imaginem Dei in homine substantialem restitui, ita ut formam Dei denuò induat, ipsiusque luminis substantialis ita intimè particeps fiat, sicut ille lapis Bononiensis, qui radios solares ita imbiberit ac retinuerit, ut in tenebroso loco luminosus adparuerit. Itaque hujus gratiæ pignus, lumen internum substantiale omnibus hominibus velut incorporatum esse, unde qui hanc prævenientem gratiam, Verbum illud substantiale velut scintillam rutilantem non respuerint, sed ceu pignus Fidei divinæ admiserint, in illis denuo substantiale desiderium

Summi Boni PATREM se intimè insinuaturum & impressurum & ex ipsius vi & virtute FILIVM VERBVM SVBSTANTIALE nasciturum esse, unde non possit non procedere substantialis Amor, Spiritus S. Sic Patrem desiderare in homine, & velle omni vi divina S. Bonum id est Deum, in Fundo animæ, quæ hoc Desiderium correspondente capacitate admittat, Filium Verbum substantiale manifestare Deum ceu S. B. in Fundo eodem, ubi correspondeat intelligentia, & Spiritum S. adquiescere in Deo ceu Summo Bono, quam adquiescentiam substantialem itidem recipiat anima in Fundo divino eò destinato: Atque sic denuò imaginem divinam substantialem in homine restauratam esse, unde omnis perceptio Dei realis vivida, sensibilissima sit, undeque porrò non nonnisi divina desideria, voluntates motus fluant, divina lumina realia, adquiescentia pax, sufficientia, pietas, actusque ejusdem indolis & naturæ, cujus Felicitatis & Restitutionis Imaginis Dei ceu summæ perfectionis omnes in quovis cœtu in quavis Religione participes fieri possint, qui modo Deo, se tradere & resignare cupiverint, quicquid de cætero statuerint, si modò tanquam adminicula & media præparatoria adhibuerint ideas suas.

Vis interna & indoles in illa Doctrina: Enthusiasmus & Adiaphoria quædam.

§. CXVII. Spiritus igitur, ut ita loquar, & veluti *quinta essentia Authoris hypothesium est partim* ENTHVSIASMVS: *Deum ante verbum lectum vel auditum & sine verbo Spiritum dare, docens.* Conf. *Art. Smalk. num. 8. de Confessione*: qui & ipse FANATICISMVS usitate est, utpote negans, Deum per verbum suum

ſuum exterius lectum vel auditum operari ſalutem, & ex adverſo aſſerens, Deum ſolum interne immediatè operari eam. Huc enim tendere univerſum hypotheſium Poiretianum nexum è ſuperioribus conſtat. Neque eſt, quòd quis dicat: Enthuſiasmum & Fanaticismum aliter definiendum eſſe. Nam non quæri debet de eo, quid ſit Enthuſiasmus & Fanaticismus, juxta cujusvis ideam ſed quid Eccleſia intellexerit, cum illos ſectarios damnaret, & adhuc damnat, ut conſtet, eos, qui iſtas ſententias Enthuſiaſticas & fanaticas fovent, & propagant, & tamen in Eccleſia vivere cupiunt, ut plures inter Lutheranos etiam faciunt, deteſtabiles hypocritas & perjuros eſſe, certiſſimæ damnationi & cruciatibus æternis obnoxios, quamcunque ſibi de Enthuſiasmo & Fanaticismo conceptum vel ideam fingant ab Eccleſiæ ſenſu diverſam. Partim ADIAPHORIA vel *Indifferentiſmus* in Doctrina, ut ſupra patuit. Huic impietati adhæret graviſſima accuſatio, *Idololatras, Atheos* eſſe quotquot non in immediato iſto lumine, Deique perceptione immediata ultimatò ſubſiſtunt. Prodigioſa ſanè aſſertiò, qua omnes in univerſam cœtus qui Fanaticismo & Enthuſiasmo Poiretiano non addicti ſunt, cæteraque promiſcuam omnem Religionem ac indifferentem non ſtatuunt, *Idololatriæ*, imò *Atheiſmi* rei pronunciantur ac damnantur. Hoc virus omnem ſanæ Philoſophiæ ac Theologiæ indolem corrupit ac pervertit, cumque complures illud vel novitatis ſtudio vel pietatis opinione hauſerint, qui tamen in medio Eccleſiæ gremio vivunt, ejusque membra ſe adhuc profitentur, mirum non eſt, eos animos favere à publica doctrina

Spiritus calumniarum. Odium hoſtile.

ctrina cultu, & Doctoribus Ecclesiæ alienissimos, nisi in quantum ἀδιαφορίας & Indifferentismi peste corrupti, externum illum in Ecclesia cultum, verbi Dei prædicationem & Sacramentorum dispensationem pro qualibuscunque Mediis remotis & adminiculis ad immediatam illam lucem admittentes, sive veritati congruant sive non, mitiores adhuc sunt, & in externo cœtu latere cupiunt. Aliquando tamen in blasphemias erumpunt horrendas, Idololatras, Atheos proclamantes Ecclesiæ Doctores, Doctores gentiles, *gentiliter* docentes, Christum non prædicantes, sed stramen, stipulas vendentes, infensissimos animos ac hostiles verè produnt, omnem bonam disciplinam, specie pietatis corrumpunt, hinc discentium præsumptuosa superbia, contemptus Doctorum, cavilli, calumniæ, tumultuosi subinde conatus ac molimina, pacem publicam turbatura, nisi compescantur. Gravissima hæc sunt judicia in Ecclesiam Dei, deprecanda in vera pœnitentia, & tantò solicitius ponderanda, quòd Malum istud politicis momentis suffulcitur, quod tamen revera in fundo suo omnem bonum ordinem destruit, vinculaque sacrorum in Ecclesia statuum dissolvit penitus.

§. CXIIX. Rem ipsam quod attinet, id est hypotheses Poireti Doctrinamque Ipsius, equidem poteram ad Theologos nostros remittere Lectorem, concernunt enim summa Doctrinæ salutaris momenta: de Principio primo cognoscendi salutarem Doctrinam, de Notitia litterali & spirituali, de Deo Trinuno, de Imagine Dei, de lapsu, Reparatione humani generis de Conversione, *Ponderantur hypotheses Poiretianæ ubi tamen (1) Remissio ad Theologos.*

sione, Fide, justitia coram Deo valente, Vita æterna &c. quæ apud sinceros Theologos tùm in Systematibus suis, tum in scriptis Elenchticis præsertim adversus *Fanaticos Enthusiastas* & *Quakeros* sunt tractata & è Scriptura S. demonstrata solide & vindicata. Indicem facient, Doctrinæque momenta ostendent studiosæ Iuventuti præter alios, scripta, post Magnum nostrum *Gerhardum* pro Gloria Dei contra Fanaticos, B. nostri *Baieri*, tum adversus *Keithum*, tum collatio *Protestantium* cum *Quakeris*, quibus recentiora jungi possunt Theologorum, in controversiis modernis, ubi illa momenta discutienda subinde occurrebant: *Fechtii*, *Neumanni*, *Wernsdorffii*, *Læscheri* & totius collegii *Authorum* der unsch. Nachr. *Sontagii*, *Schelwigii*, *Bücheri* & aliorum, qui & alios magno numero indicarunt. Cæterum hoc loco, ubi pressius ad hypotheses nostri Authoris respicimus, considerandum inprimis erit *Fundamentum*, quo tota compages hypothesium Authoris nititur: *unum* quasi Physicum, *alterum* morale magis. Illud: *Si Deus, res divinæ non sensu percipiuntur ipsæ realiter, & ut in se sunt; & tantum earum imagines percipiuntur; vana est omnis Scriptura & imaginaria, omnis beatitudo & feliciter imaginaria* de Fide §. 39. p. 34. Conf. supra §. 95. termini evolvendi sunt ex æquivoco sensu, quo hoc genus hominum latere amat, velut præparatorio modo, donec sub latebris suas ideas tacitè infuderit. *Deum & Res ipsas divinas realiter percipere & ut in se sunt*, & ex oppositio *earum imagines tantum percipere, vel est: primò* Deum in anima præsentem ita percipere, ut Ipse & effluvia luminosa

(2) *Fundamentum totius Compagis consideratur. quod duplex: PHYSICVM.*

ex

ex ipsius *præsentia individuali* ut loquitur Author aliâs, *vid. Oec. div.* I, 12, 5. 6. III, 8, 8. immediate attingant animam, eamque luminosam faciant, *& ex opposito*, Dei rerumque divinarum imagines tantum ita percipere, ut non ex ipsa præsente individuali natura divina per influxus illos luminosos attingentes animam immediatè percipiatur Deus sed alio quodam modo *repræsentativo, conceptuali, cogitativo* à Deo ita constituto & ordinato: *Vel* est *secundo*: Deum, ut in se est & res divinas percipere separato & abstracto illo peculiari & determinato modo per ipsam essentiam divinam luminosam ejusque effluvia animam attingentia, *& ex opposito:* Dei rerumque divinarum imagines tantum percipere, non ut in se est, & ut res divinæ in se sunt, aut sine fundamento in re, adeoque falso concipere. Certum est, si Deus & res divinæ non percipiantur, uti sunt, & revera se habent, ac sine fundamento in re, sed per Imagines, ideas in oppositione ad illam perceptionem, qua res percipiuntur uti sunt & revera se habent, imaginariam merè esse omnem perceptionem, cognitionem, imaginariam scripturam, imaginariam veritatem, imaginariam felicitatem, Ratio: quia omnium horum cognitio terminaretur in mera imagine, sine ulteriori fundamento. Ast illam perceptionem, quæ non est ex ipsa divina essentia luminosa se impertiente & lumina ex seipsa communicante & imprimente immediatè in ipsam animam, esse merè imaginariam dicto modo, id est non habere fundamentum in re, stultissima imaginatio est. Contradicit scriptura in clarissimis luminibus, refragatur ipsa rei natura, & rationis percipiendi possibilis per omnipotentiam

tentiam divinam: repugnant ſagaciſſimi & ingenioſiſſimi Philoſophi.

(1) *Confutatur ex SS. & rationibus.*

§. CXIX. Scriptura repugnat: *Cernimus nunc δι' ἐσόπτρου per Speculum*, in oppoſitione ad *tunc* futuram vitam, ubi Deum videbimus à facie ad faciem. 1. Cor. 13, 12. Viſio, perceptio eſt in imagine, quippe ſpecularis: num ergo merè imaginaria, ſine fundamento? Ipſe Deus ſe in imagine repræſentavit in baptismo Chriſti, *Pater*, ut loquens de cœlo, Filius ut in aquam deſcendens, Spiritus S. in ſpecie columbæ, & ſub illis imaginibus Deum repræſentamus nobis recte quinimò pingimus illas: Num ergò repræſentatio imaginaria tantum eſt? ſine fundamento? abſurdè. Deus ſe variis modis ſignavit & cognoſcendum dedit Creaturæ rationali, homini, intra & extra hominem & in creaturis aliis, in ſymbolis & variis figuris, num hæc perceptio eſt imaginaria? ſine fundamento? Quid? num ſignum ſignans notificans, repræſentans, ſigillum obſignans imaginariam fundat perceptionem? id eſt perceptionem *ſine fundamento*? quaſi, ſignum character notio, repræſentamen non eam indolem habere queat, ut nobis repræſentet, notificet rem, uti eſt, ut opus ſit ipſa rei perceptione immediata. Sed ſit ita, nullum ſymbolum, nullam imaginem, characterem nobis repræſentare Deum adæquate, & in omni latitudine perfectionis, modò fiat illud, verè & congruè; non certè imaginaria erit perceptio. Num enim impoſſibile eſt, aut divinæ potentiæ repugnat, Deum ſui notitiam in hac vita communicare alio modo quam per ſeipſum aut ſeipo? Artificem noti-

(2)

(3)

(4)

(5)

(6)

(7)

notificat opus, ex cujus præſtantia concludo Autorem intelligentem, artis habitu præditum, etſi eum nunquam viderim, & DEus non ſe poterit opere ſuo ſe cognoſcendum præbere? niſi immediata perceptio ſupponeretur? Beneficia ſignant & notificant Benefactorem, quem nec vidiſti nec forte unquam vides, num propterea imaginaria eſt notitia?

Veniamus ad verba rerum ſigna, docemur & inſtruimur per literas ab abſente, qui ſe ipſum in illis cognoſcendum præbet, ſapientem, benevolum potentem &c. inſtruimur â præſente, veluti diſcipulus a Præceptore per verba, informatione, non immediate, ut communicat ſe, ipſamque ſuã capacitatem, neque tamen propterea imaginaria mere eſt notitia perceptio illa doctrinâ hauſta. Qvodſi dicatur imaginaria altero ſenſu, non negante conformitatem cum Re ipſa, nec fundamentum in re, ſed tantum immediatam illam perceptionem, male combinantur *vana & imaginaria*, non enim vanum, fictum & adeo nullius momenti eſt, quod ita imaginarium eſt. Sed nec imago, conceptus, notio, repræſentamen in quantum naturale eſt, excludit ſtatim omnem alium modum percipiendi peculiarem, ſupernaturalem, quo per illos conceptus notiores & ſigna rerum percipimus DEUM & res divinas. Talem ſupernaturalem percipiendi modum imaginarium vocare, in ordine ad naturalem iſtum percipiendi modum magna foret ἀπαιδευσία. Jam vero Scriptura revelavit talem cognoſcendi & percipiendi modum, per externa quidem ſigna & verba, attamen in ſe ſupernaturalem & peculiarem, cum verba illa non ſint mera ſigna,

(8) (9) (10)

verba vim naturalem objectivam habentia, ſed *potentia divina*, Rom. I, 16. *Spiritus & vita*, *Joh. VI*, ut Chriſtus ait de ſuis verbis. Hanc perceptionem vanam imaginariam vocare blasphemia eſt adverſus DEUM, ejusque Teſtimonium.

(11) §. CXX. Vanum inſuper eſt, & merum præjudicium, ex modo percipiendi per materiata & corporea hauſtum, nulla enim certè ſequela ab his ad ſpiritualia, imo ad ipſum DEUM Spiritum infinitum, à particulari ad univerſale, ab hoc modo percipiendi materiata, ad omnem alium neceſſario talem, nec DEUS allegavit ſe ad Naturæ limites, ſed Naturæ gratiam ſuperaddit, fa-

(12) ciens ſupra Naturam. Præterea minus expeditum eſt in Philoſophia, quod ſcribit: *Res ipſas* in perceptione vivida, reali ita percipi, *ut ipſæ præſentes reali ſuo influxu in facultates ſibi reſpondentes agant, eas feriant, & ſui ipſius*

(13) *proprietates imprimant.* Nec ad DEI perceptionem, quam Author vult, adplicari poteſt. Percipimus viſu res à nobis longius ſeparatas & è longinquo: num DEUS ita percipitur, è longinquo? qui intime præſens eſt? Perceptio omnis non eſt rei ipſius immediate, ſed vel interveniente medio, imagine aliqua vel alio modo: non enim res ingreditur in oculum meum, color non progreditur ex pariete, quem video, in oculum, imago in fundo oculi ſiſtitur comuniore ſententia, non res ipſa, annon hæc eſt imaginaria perceptio, ſeu in imagine, quæ fundamentum in re habet? Si ergo & Spiritualium, divinorumque & ipſius DEI talis eſt perceptio diciturque realis, ſpecies aliqua, imago aut repræſenatmen percipietur non ipſe DEUS, fundamen-

mentum tamen in re habens, & notificans DEUM. Sic posito, dari sensationes & perceptiones DEI & divinorum, sicut corporalium, non tamen propterea realiter & immediate percipiuntur, uti vult Author. Dicit: in (β)
reali perceptione vivida res præsentes *agere influxu reali in facultates, ferire eas, imprimere suas proprietates:* & hic habere se facultates *animæ mere passivè*, res ejaculari emanationes, & eas quidem quas ipsæ habent, *effluvia procedere è rebus* quæ in *corpoream molem* agunt; *nec alias emanationes ejaculari posse, quam ipsæ habent.* Applicat hæc ad perceptionem, qua DEUM percipimus ita, quòd ex ipsa essentia divina effluvia Luminosa in animam agant, denique imaginem ibi sistant. Ast quam vana hæc figmenta sunt, nugæ, imaginationes nullo neque in natura neque in SS. fundamentonixa.

§. CXXI. Aut illa effluvia, & emanationes, pro- (γ)
prietates rei imprimentes percipienti, sunt particulæ Physicæ ex ipsa substantia rei exeuntes, & se in animam seu mentem percipientis ita insinuantes, ut forma rei existentis realis & substantialis inde oriatur, adeoque mens seu anima induat formam rei ipsius realem & substantialem, dependentem tamen ceu imaginem ab ipsa re præsente & existente: aut sunt species duntaxat & meræ idearum particulæ è re existente & præsente velut exeuntes seu emanantes & formam seu imaginem rei in mente constituentes. Si prius; Res ipsæ in Percipiente se multiplicabunt, ut jam eorum substantia non tantum exteriùs, sed & intra hominem in anima ejus realiter existat. Ast hic res existentes percipiendi modus nullum neque in Scriptura neque in natura fun-

 da-

damentum habet; neque ad perceptionem DEI ullo
(δ) modo accomodari poteſt. Quid enim num DEus ani-
(ε) mam ingrediendo veſtit aut induit eam forma ſua ſe
multiplicando? Objecta Percipientem ſuo modo feri-
re, movere, tangere, detur, ſed nullo modo exinde ſe-
quitur, ſiſtere illa ſui imaginem in mente aut impri-
mere illi, eamque adeo veſtire: quamquam enim vul-
go ponant ibi ſpecies, ſimiles imagini in fundo
oculi; alii tamen ſollicitius rem ponderantes negant
(ζ) illas. Eſt perceptio cœci, qui baculo intermedio ob-
jecta dignoſcit & diſtingvit lapides, ligna, mollia, du-
ra, liquida &c. nulla hic imago ex objecto per bacu-
lum aut ejus motum impreſſa, & quænam hic emana-
tiones & effluvia ex corpore, quæ per baculum ejus-
que motum ad manum deveniant? Reſiſtentia aut mo-
(κ) tus rei cauſa diſtinctæ perceptionis eſt. Allegat hoc
(ν) Exemplum *Carteſius* in Dioptricis cap. I. num. 5. ubi il-
luſtrat illam ſuam ſententiam: *non neceſſarium eſſe ſup-
ponere materiale quidpiam ex objectis* ad oculos noſtros
*manare, neque quicquam in iſtis objectis eſſe, quod ſimile
ſit Ideis, quas de iis mente formamus.* Idem qui l. c.
negat, *objecta viſus percipi tantum actionis vi, quæ ex il-
lis emanans ad oculos noſtros* diffunditur, *ſed etiam NB.
vi illius, quæ oculis juncta ad illa pergit.* Sic non mo-
do res ferirent & moverant percipientem ſed ipſe per-
(θ) cipiens ageret in res. Sed detur, hoc falſum eſſe, non-
dum tamen intellectu mere paſſivo perceptio Mentis
abſolvitur, ſed attentione ad impreſſionem rei ſeu feri-
entiam rei opus erit. Attentio autem eſt operatio A-
nimæ. De aliis præter viſum ſenſibus largitur, docet-

que

que *Gassendus*, effluvia ibi & reales halitus exire & transferri in percipientem, ut ita immediate sine interveniente alio medio rem percipiat per realia illa & materialia effluvia ex re ipsa, v. g. quando res odorata percipitur ex odore per effluvium seu halitum odoratum. Sed particulare hoc est, nec fundamentum ad percipiendi modum in universum determinandum: nec processus à modo percipiendi corporalia ad spiritualia ipsumque DEUM ullam soliditatis speciem habet. Si *posterius* ponatur, *vid.* p. 171. species nimirum & particulæ, velut ideales non reales, quæ exeunt ex objecto; neque sic tamen ad scopum Poireti res cadet: tum enim erit perceptio per speciem, ideam, imaginem notificantem rem, non per rem ipsam se insinuantem percipienti, quam *vividam* demum & realem vocat Authior.

§. CXXII. Est itaque Modus corporalia percipiendi diversus & inter acutissimos Philosophos adhuc disputatur, Poiretus tamen tanquam certum sibi sumit, esse talem, ut effluvia, emanationes ex ipso objecto fiant & ejus proprietates imprimant menti passive se habenti, quam objecta ita vestiant, ut illa transformetur in illas imagines. Hoc ita pro certo supposito, impeditam & perplexam sequelam facit ad spiritualia ipsumque DEUM, quasi & ipse hoc, non alio modo posset & deberet percipi, quasi nulla alia perceptio vera, fundataque esse possit. Tam impeditas, inexplicabiles incertas sapientibusque disputatas vias transfert in Theologiam, suumque inde capitalem errorem extruit: *DEUM necessario:* (Si perceptio debeat esse vera nec

imaginaria,) *modo vivido & ſenſibili percipi immediate, ita ut immediate efformet perceptionem, talemque, qua anima nunc hanc, nunc illam virtutem divinam vividiſſime ſentiendam imprimat, vel etiam totam eſſentiam divinam ita in animam imprimat, ut illa* DEUM *vivide ac ſingulariſſime intelligat eoque fruatur.* Hanc hypotheſin ſuam per ambages obſcuras, intricatas, devias ſufful-cit, veluti, quod DEus in hunc finem *Animam Divinam* ſeu ex ſe extractam extruxerit, in hac anima ponit diverſos intellectus, capacitates, paſſivitatem. Huic hypotheſi inædificat totum Syſtema Theologicum, doctrinasque ſalutares eo detorquet.

§. CXXIII. Aſt inquit Authorlibri de *fide: Ratione deſtitutum vel iniquiſſimum eſſe oportet, qui ipſius Chriſti teſtimoniis de iis quæ propria & vivida experientia didicerat, ſe ſubmittere noluerit:* vid. p. 84. Sed quænam ſunt illa Chriſti teſtimonia? apud *Joh.* III, 32. 33. ubi Chriſtus de ſe ait: *ſe teſtari, qvod viderit & audiverit, qui acceperit hoc teſtimonium, eum obſignare quod* DEUS *ſit verus* Joh. V, 19. 20. 30. Non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem. Pater omnia demonſtrat Filio quæ facit. Non poſſum ex me ipſo facere quicquam, ſicut audio, judico. Joh. VIII, 26. Reſp. ad I. locum eum agere de Chriſto Filiô DEI, â quo ad alios ceu meros homines non valet conſequentia. Joh. I, 18. Ubi Filio DEI unigenito tribuitur, quod ſit in ſinu Patris, quod DEUM viderit, quid hoc ad alios? Nec de ſenſibili & vivida illa experientia ſermo eſt, quam *Poiret* fingit, ſed de eminentiſſima viſione & auditione ejus qui è cœlo Majeſtatis divinæ

vinæ venit: de eo qui juxta v. 34. & Spiritum ſine menſura accepit. Qui hujus teſtimonium accipit, obſignat, eadem nempe gratiâ, qua accipit, quod DEUS verax ſit. Ad II. rurſum de eminentiſſima viſione ſermonem eſſe, certe Filius omnipotenter operatur, ſicut Pater, eadem, eodem modo ſive ſimiliter, quid hæc ad experimentalem illam fictam cognitionem hominum? facit Filius, quæ Pater ei monſtrat demonſtratione ſubſtantiali, & communicando ei omniſcientiam, in eo omnes ſunt theſauri Sapientiæ & ſcientiæ, in eo totum πλήρωμα Deitatis habitat, non opus habet demonſtratione, ex qua certus fiat, nec auditione & viſione ad morem hominum: Sed ex illo inexhauſto fonte omnia noſſe poteſt. Conf. Veteres, hæc eleganter declarantes in ſuis ad hæc loca commentationibus. Idem de auditione ad tertium locum reſpondetur.

Exercitatio Ult. De Via Salutis Poiret. Reſp. M. Joh. Bernhard: Hahn Boruſſ.

§. CXXIV. Fundamentum morale cui *Poiret* ſuam molem hypotheſium ſuperſtruit, pacem ac ſecuritatem ſpirat, tum interius, tum exterius: Summa Viriſententiæ uti proponitur, tum in Tr. commendato de Fide p. 255. ſeqq. tum in Oecon. V, 4. p. 405. 406. in hoc ſubſiſtit: (1) Infinitas omnium ſectarum circa ſcripturæ ſenſum, ut & criticorum circa diverſas lectiones eſſe altercationes: (2) in Particularibus illis de *Trinitate* de *Proprietatibus quibusdam DEI*, de *Decretis DEI*, de *Perſona Chriſti*, de *modo Redemptionis* & de ſexcentis aliis diſſenſionum materiis Chriſtianos in centum partes diverſas diſcedere, eruditos in plures. (3) Nullam viam reperiri, nec uſitata methodo, ſcrupulos plene removendi, hinc (4) Myſterium iniquitatis ſubeſſe,

Fundamentum Poireti morale pro capitali hypotheſi petitum à Tranquillitate Animi ab omnium

Sectarum & criticorum dubiorum altercationibus exempta ubi

mirum enim videri, DEVM salutis omnium Studiosissimum, rem tanti momenti, scripturæ nempe sensum, quæ etiam simplicissimos tangit, inexplicabili permisisse incertitudini. (5.) Quod particularia illa, quæ traduntur de Trinitate &c. attinet, hominem nescire, quo se vertat, cui parti altercantium se jungat, nam illi non conjungi posse, cui per educationis consvetudinem sit destinatus, sic enim salus è carnali nativitate penderet: nec tamen quempiam ad concertationes illas examinandas per rationem ad Scripturam sacram se adplicare debere, fore id errorum scaturiginem, nec Scripturas mihi fidem divinam dare posse, etsi omnes ratione mea examinem, nec ad Doctores confugiendum esse, a quibus sacræ paginæ deterreant. Itaque (6) missis hominibus propriisque opinionibus, & de rebus divinis particularia nulla cogitantem ad DEVM confugiendum esse rogandumque, ut adorandam suam lucem concedere velit. (7) quoad scripturam etiam Auth. *viam omnium* tutissimam facilem, brevem, tranquillam & omni sectarum & criticorum dubiorum molestissimo turbini exemptam reperisse, qua non tantum *Scriptura Sacra* sed & *omni alia Revelatione* recte & utiliter uti quis possit.

Via nova veritatis Christianæ cognoscenda.

§. CXXV. Quæ nam ergo (8) via illa? (I.) Inter legendum attendendum, num Autor, ad DEUM ducat & veram pietatem spiret, DEI & proximi Amorem & Mundi contemptum & peccati odium. (II.) Hoc si fecerit Author; DEO acceptum fore. Hinc (III.) eum esse mentiri nescium, vel si erraverit, non tanti fore errorem, ut pietati maculam inurat. (IV.) Si Authoris

ris vita, doctrinæ illi ſuæ ſit conformis, ipſeque in pietate ad mortem usque, etiam in perſecutionibus perſeveraverit; eo magis, rectæ rationi, imo piæ menti conſentaneum eſſe, præbere ei aſſenſſum. V. haud quemquam, qui recto animo ſit, majorem certitudinem in hoc argumento deſideraturum eſſe. VI. Qui hujus ingenii non ſit, id eſt, qui hanc inquirendi methodum ſequi nolit, eum in ſua pervicacia relinquendum eſſe, viam ſalutis non in recenſione hiſtorica certarum propoſitionum, ſed in pietate, amore DEI & proximi, & efficaci convictione earum veritatum, quæ animum eò adducunt, conſiſtere. VII. ſacri codicis & aliorum librorum unctione ſuperna ſcriptorum officium eſſe, extrinſecus ferire ſenſus & excitare hominem, ut expendat quid ſibi faciendum, quo modo propriæ ſaluti conſulendum. VIII. Hoc ſi fecerit, divino S. literarum beneficio ingenti recte uſurum & ex mente DEI IX. qui ita in ſe converſus eſt, ſalutaris veritatis cupidus, eum ſufficienter a DEO edoctum iri, quantum Ipſius ſtatui expedire viderit. X. Neceſſe eſſe itaque, ut qui de ſua ſalute ſecurus eſſe cupit, interno lumine ſalutarem veritatem introſpiciat: *veramque pietatem corde intus erudito ſincere colat.* Conf. commēdatas *Acceſſ. ſecund. de §. certitudine.* p. 250. ſeqq. & Oec. V. 4. 29. ¡Hæc itaque nova plana & tutriſſima ſalutis via erit, juxta Authorem: Hominem lumine ſubſtantiali interno excitatum ac bonæ voluntatis lumina quædam generalia de DEO potente, ſapiente, bono, juſto, “ verace, amando & audiendo deque ſcripturis ſacris, “ *Via ſalu-*
docentibus qua ratione ad DEVM reverti queamus, te- “ *tis expli-*
nere, *cata*

nere non per partes & limitato modo ſed per modum "
generalis intentionis tenendi & agnoſcendi coram "
DEO quicquid divini fuit & veri in illa aliaque "
noſtra cognitione. In particularibus vero quæ de "
perſona Chriſti Trinitate &c. altercantur, imo de "
quibus etiam non litigant, mittenda eſſe nec cogi- "
tanda, ut omni puritate ac ſinceritate DEO ſupplice- "
tur, ut in iis ſolum rebus, quas ſcire me voluerit "
non ulterius adorandam ſuam lucem velit concede- "
re, atque ita lumini interno ſubſtantiali ſe hominem "
pure permittere debere ſcripturis vero ſacris id eſt "
Codice ſacro aliisque ſacris libris ita recte & "
juxta mentem DEI uti, ſi per eas ſe excitari patiatur, "
ut in ſe ſecedat, & convertatur, atque ſic a DEO e- "
doctum iri. Cæterum Auctoritates ſacrarum litera- "
rum eſſe teſtimonia, Veritatis internæ, quam DEVS
intus per lumen fidei in cordibus vivide inſcribit,
menti autem idealiter imprimit per lumen Naturæ.
Conf. Præf. General. II. n. 13 nec illis teſtimoniis aliter
utendum eſſe, quam prout ad Amorem DEI & proxi-
mi faciunt, animosque eo adducunt, de cætero ad certas
propoſitiones & veritates extra illum reſpectum non
eſſe reſpiciendum; ſed omnia illi luci internæ com-
mittenda, & in tantum recipienda, in quantum per
illam convincor. Verbo: INTERNO LVMINI
IMMEDIATO SVBSTANTIALI ATTEN-
DENDVM, ET IN EO VLTIMATO ET V-
NICE AD QVISCENDVM ESSE, ID ESTIN
IPSO DEO, S. FILIO DEI VERBO ET SA-
PIENTIA SVBSTANTIALI PER SPIRI-

& ſummarie propoſita

TVM

TVM S. SVBSTANTIALEM AMOREM, NEC CERTIS PROINDE ET LIMITATIS PROPOSITIONIBVS SEV VERITATIBVS INHÆRENDVM SIVE ILLÆ COGNITÆ SINTET REVELATÆ LVMINE NATVRÆ SIVE ALIO REVELATIONIS MODO; NISI IN QVANTVM EX HOC FONTE REALI ET SVBSTANTIALI IMMEDIATE EMANANT, ET IN EVNDEM PER SVBSTANTIALEM DEI AMOREM SPIRITVM S. TENDVNT ET DIRIGVNTVR. QVO RESPECTV ETIAM FALSÆ COGNITIONES ET IDEÆ obtinere poſſunt, SI MODO NON IN ILLIS TANQVAM REI SVMMÆ ADQVIESCATVR, SED VT INSTRVMENTA ADHIBEANTVR, AD TRADENDVM SE DEO, EJVSQVE AMORI, LVMINI, OBEDIENTIÆ, FRVITIONI, VT ADEO IN OMNIBVS DEI Amor prævaleat QVOD SIT VERAM PIETATEM COLERE.

§. CXXVI. Argumentum: Quæ via ſalutis ita explicatur, ut animum reddat tranquillum, omnibusque ſectarum & criticorum altercationibus inextricabilibus eſt exempta, tuta facilis *&c.* illa demum eſt vera ſalutis via nec ſuſpicionem myſterii iniquitatis habet. Atqui via ſalutis ſuperiori modo ab Authore explicata & mota, ita ſe habet. E. Enimvero *primò* hæc via Salutis, non nova eſt, ſed ut paſſim annotarunt noſtrates, à veteribus iam *fanaticis* trita Duo ſunt puncta, & veluti lineæ regiæ, quæ per totum ſyſtema, ut ita loquar Autho-

Poireti probatio in Argumentum redacta

& Annotationes noſtræ

I. *Via Authoris non nova*

Authoris se diducunt: Immediatum substantiale Lumen, & Amor DEI seu pietas sine notitia seu regula fidei salutaris, quicquid sit de propositionibus & cognitionibus, sive veræ sint sive falsæ, modo ad hunc finem reduci queant, ut media & præparatoria animorum ad Amorem DEI & pietatem, aut ei non adversentur. Et ille Fanatismus & hæc sentiendi ἀδιαφορία jam in Simoniana illa propagine coaluerunt, ac deinceps usque ad hæc tempora nostra variis molimentis Consiliis & fraudibus Enthusiastarum se prodiderunt. Certe prima mali origo jam ibi conspiciebatur *in contemptu verbi*, & *prætensione altioris, divinioris & firmioris cognitionis* quo respexisse videtur Paulus 1. *Tim.* 6. 20. monens Timotheū, ut devitet βεβήλους κενοφωνίας, & ἀντιθέσεις ψευδωνύμου γνώσεως, cujus imaginatio jam in Simone eò usque excrevit, ut se *sermonem DEI*, imo DEUM *ipsum*, testibus *Irenæo*, *Tertulliano*, *Theodoretho*, *Hieronymo*, *Augustino* locis passim alibi in Hist. Eccles. jam enotatis vocaverit. Hinc vero facilis transitus ad Adiaphoriam in doctrina, nam si quis Mentem DEI non amplius quærit in sensu Script. Sacræ, & determinatis ibi veritatibus, ac propositionibus fidei, sed in seipso originaliter, vel ita ut ex intima DEI unione notitiam suam originaliter deducat, vel ita, ut se DEUM asserat, scripturamque, si ea utatur, ad suum istud prætensum lumen trahat, nullus supereſt limes, quo coerceri queat vel sentiendi vel suspendendi assensum libertas, omniaque denique ipsa praxi & re relabentur in Rationis effectus, & Naturalismum aliquem.

Sed antiquis fanaticis trita

Vbi prima origo eius viæ, prætensio divinioris & altioris cognitionis & Adiaphoria

§. CXXVII. Accedit Studium pacis & tranquillitatis

Altera

litatis male ordinatum, vel clarius, ſtudium *Syncretiſmi:* ſane & hoc in illo fanatico Simone apparuit, qui gentilem Impietatem & Chriſtianorum Religionem in unum conflare molitus eſt. Conf. *Siricii* de Sim. Mago. *Iac. Thom. in Sched.* Quid vero efficacius ad illum promovendum eſſe poteſt, quam adhæſionem verbo DEI ejusque ſenſibus idololatriæ accuſare? limitatas & particulares propoſitiones ſ. veritates eliminare, nec ullam veritatem ſ. propoſitionem ſive vera ſit, ſive falſa, niſi ſub ratione immediati luminis & in ordine ad Amorem DEI ſ. pietatem admittere vel urgere. Nulla enim eſt fere gens, quæ non DEVM aliquem metuendum vel amandum ſtatuat. Vnde aliquando ab uno extremo fictæ divinioris & ſublimis cognitionis, illi veræ & è S. ſacra hauſtæ oppoſitæ ad alterum itum eſt, dictumque: *Non poſtulare DEVM aliquid amplius a Chriſtiano, niſi præclaras bonasque actiones. Itaque aliquem ſimplici rudique animo inſtitutum ſuum perſequi melius eſſe, quam multam curam in cognoſcendis decretis atque ſententiis ponere: Vanum & minus neceſſarium laborem eſſe eorum, qui in divinis ſcriptis ſcientiam* quærunt, notante *Damaſceno* de hæreſ. p. m. 586.

ſtudium Pacis & quietis inter homines ſ. Syncretiſmus.

§. CXXIIX. Tertio juvit excogitationem viæhujus obſcuritas S. Sacræ prætenſa, ſic jam Simon ille memoratus; *non ita certam eſſe ſcripturam & perſpicuam,* ut conſtans inde *ſenſus deſumi queat.* Vid. memorata Diſſertio *Siric.* quæ ex Veteribus hæc declaravit. Certe enim ſi certus ſenſus ne quidem in rebus Fidei & morum haberi poteſt; alia via ſalutis vel intra nos vel extra nos extra ſcripturam quærenda erit. Pontificii

Tertia ſcripturæ obſcuritas

Quarta

Separatio divinæ virtutis a verbo.

quærunt in Scrinio cordis Pontificis, fanatici intra se, in immediato lumine. Imprimis vero huic fictæ salutis viæ fundamentum stravit separatio virtutis divinæ a verbo & litera, quam pridem *Calviniani* ex hypothesi absoluti decreti statuerunt, quo relicto *Poiretus* alterum, quod inde fluebat, ex alio capite adoptavit. Memorabile vero est, quod nonnulli inter illos, doctrinam Lutheranorum in hoc puncto: quod nempe Spiritus S. per verbum & sacramenta operetur salutem, conuertat, regeneret, vocant *insaniam indignam Christi servis, errorem intolerabilem auribus Christianorum*, & jam tempore Lutheri Carolstadius asseruit Revelationem DEI intus in nobis ita fieri, ne quid de litera sciamus, unde non raro Fanaticismus & Enthusiasmus ipsis est objectus, qvem verò nunc Author irrefragabili quodam robore & demonstrationibus certissimis stabilire conatus est.

Adplicatio ad hypothesin Poiret de Via salutis.

§. CXXIX. Facile autem se patiuntur *origines* istæ ad hypothesin *Poireti* de via salutis adplicari. Nam *primò* & ipse excellentem aliquam γνῶσιν Ideali, ut vocat, superficiariæ, inutili, imo falsæ nec fundatæ oppositam urget; omnemque illam vanam pronunciat, sterilem, nugacem, quæ non ex immediato lumine substantiali procedat, ut patet ex iis quæ supra allegavimus. *Deinde* unionem & pacem ac tranquillitatem aliquam universalem, ubi omnes lites circa scripturam & veritates tolluntur, machinatur. *Tertiò* incertam & obscuram prodit Script. Sacram: Quippe qvæ, etiam quoad sensum inexplicabili permissa sit incertitudini, nisi

imme-

immediato illo lumine ſubſtantiali interno illuſtretur & clavis adeo detur, quæ tamen illuminatio ex interno principio non ſenſus determinatos & veritates limitatas particulares imprimat, ſed tantum ceu adminicula externa, etiam minus recte intellecta ad pietatem Deique & proximi Amorem dirigat. Denique *quarto* ſeparat Virtutem DEI ab ipſo verbo DEI, literam quippe eſſe mortuam, ideas & cognitiones de rebus divinis non eſſe ex ſe ſalutares, in Diabolis inveniri, etſi iis inhæreatur, idololatriam committi, umbram mortis pro ſalutari fide adprehendi, ut ſupra. Hinc *Argumentor:* Quæ via ſalutis jam ab antiquis hæreticis & fanaticis eſt trita nititurque imaginaria rerum divinarum cognitione excellenti ultra ſcripturam, molimine Syncretiſtico, obſcuritate Scripturæ ſacræ & ſeparatione Virtutis divinæ a verbo; illa non tantum non eſt nova, ſed myſterii inſuper iniquitatis non latentis ſuſpecta eſt. Atqui via ſalutis Poiretiana. E. non eſt nova, inſuper myſterii iniquitatis ſuſpecta, ac proinde nec Ipſe ſibi, nec alii de eo gratulari hahent.

Concluditur: Viam ſalutis Poiretianam non eſſe novam, & eſſe myſterii iniquitatis ſuſpectam.

§. CXXX. Eſt inſuper via Prudentiæ divinæ Conſiliisque DEI adverſa. Molitur enim Poiretus hic tale opus, talem viam, qua (1.) omnes ſcrupuli circa ſcripturæ ſacræ ſenſum plane removeantur, ut & criticorum dubia (2.) Myſteria doctrinæ & ſumma fidei ſalutaris momenta pro indifferentibus habeantur (3.) etiam falſæ cognitiones &c. ideæ pro præparatoriis & adminiculis declarentur. (4) Mens ipſa circa veritates ſalutem concernentes in ſtatum ἐποχῆς collocatur

II. *Via ſalutis ab Authore poſita & prudentiæ divinæ adverſa & impoſſibilis.*

locatur cum voluntate conjuncta recipiendi; quæcunque Deus ſit revelaturus, cum tamen reapſe jam decreverit, nihil pro divino lumine accipiendi, niſi ſub ratione pietatis, lumine naturæ æſtimatæ. Nam quoad (I.) de via omnes ſcrupulos plene removendi circa S.S. ſenſum, illa quidem ratio ſcrupulos removendi & dubia in ſacris, refragatur divinæ prudentiæ Nobis revelatæ: utpote juxta quam ſcrupuli & dubia tollenda; non *1. peculiaris luminis & a verbo ſeparati ſubſtitutione*, ſed *luminis ſcripturæ adplicatione*, huic attendendum eſt, donec dies illuceſcat in loco obſcuro. 2. Petri 1. 19. ita nempe ut clariora, veluti principia quædam, ad intelligenda obſcuriora adhibeantur, non enim e tenebris accenditur lux: ita fit, ut non privata, propria humana, ſed divina emergat interpretatio, quæ ſpiritui illi congrua eſt, cujus impulſu locuti ſunt Sancti DEI homines. Nec (2) *difficilium & graviorum capitum preciſione*, aut tanquam minus neceſſariorum declaratione, ſed *diligenti ſcrutinio*, juxta illud ἐρευνᾶτε Ioh. V. 39. non tantum quoad veritatem ſed & momentum ac neceſſitatem. *Quisquis enim ſolverit vel minimum ex mandatis DEI & docuerit ſic homines*, quod nempe non neceſſarium, non a DEO ſit, *ille minimus vocabitur in regno DEI Matth.* V. 19. Neque 3. ἐποχῇ, ſive mera *aſſenſus & judicii ſuſpenſione*, ſed ſpirituali judicio & approbatione, ut *ſpiritualia ſpiritualiter dijudicentur* 1. Cor. II. 14. *Veritatem ſectemur in charitate, ne ſimus pueri, qui fluctuant & quovis vento Doctrinæ, ſed adoleſcamus &c.* Eph. IV. 15. *Nec rudes ſemper, ſed ſolidi cibi capaces,*

Argum. quod divinæ Prudentiæ adverſetur via Poiretiana circa I. ſenſum S. ſcripturæ ob peculiaris luminis ſubſtitutionem

2. ob graviſſimorum doctrinæ capitum diminutionem.

3. ob aſſenſus & judicii dilationem

utque

utque ſenſus habeamus exercitatos ad diſcretionem boni & mali, conſequenter etiam veri & falſi. Ebr. V, 13. 14. fides noſtra ſit certa, firma fiducia, Authoritate quippe divina nixa. Neque (4) Revocatione ad Rationis decempedam, ſed ad *Analogiam Fidei*, juxta Rom. XII, 6. Neque 5. per pietatem tanquam regulam & normam Veritatis: nam cum pietas ex veritate formanda ſit, neque ſolus cœcus affectus pietatis nomine venire queat, certe pietas non poteſt norma eſſe veri, ſeu ejus quod ſtatuendum eſt: ſed veritas, doctrina debet menſuram, rationem, modum dare pietati ut ſit vera pietas. Nec ſequitur: hoc illudve quodammodo pium eſt, vel potius pietatis ſpeciem habet, E. rectum juſtum DEO placens. Verum ſi de vera Pietatis ratione conſtet; dum recte concludo: quicquid Pietati, veræ ſcil. & DEO convenienti refragatur, id DEO placere non poteſt, & ex altera parte: quicquid veræ pietatis rationem habet, id juſtum, rectum, DEO placens eſt. Nec pietas intermedius in hac vita finis eſt, ad quem omnia reducantur, ſed *Fides. Hæc ſcripta ſunt ut* CREDAMUS, &c. & credentes, *vitam æternam habeamus. Joh.* XX. ult. Fructus vero fidei pietas eſt, & quicquid non ex fide (vera ſc. illa in JEſum Chriſtum & in veritate fundata) progreditur, id peccatum eſt, non pietas. Convenientiam ergo deſignat aliquam iſtud Pauli, vel finem, ἐπίγνωσις ἀληθείας κατ' εὐσέβειαν *Tit.* I, 1. non regulam & normam adæquatam.

(4) *ob doctrinæ normam falſam, ratione.*

(5) *ob pietatis æſtimium iniquum*

§. CXXXI. Prudentiæ divinæ repugnat, novam inquirere viam ſalutis, ubi omnia dubia & ſcrupuli plene removentur, præſertim violenta iſthac ratione

(6) *Non dari novam viam, &*

 ut *meliorem*

dubia in sacris tollendi, quam quæ est Sp. S.

ut falsa cum veris admittantur, in communem Pietatis finem, & determinatæ summæ veritates in dubio relinquantur. Nam 1. Aut dubia & scrupuli suborti concernunt sensum scripturæ, aut res ipsas & mysteria, si prius, (1) nova & melior methodus tollendi dubia haud invenietur, quam quæ jam à Spiritu Sancto ostensa est, illa nempe, qua justa Media interpretandi ipsi SS. interna adhibentur, veluti Textus, scopus, loca parallela, antecedentia & consequentia, Analogia Fidei, quibus externa accedere possunt è disciplinis & artibus, quæ & ipsæ sunt Donum DEI vel in ejus honorem usurpanda. Nec (II) obstat, quod hac methodo nondum omnia ita ad liquidum sunt deducta, ut non dubia subinde restant: hinc enim est, quod (1) scrutinium, meditationem, studium Spiritus Sancti nobis passim inculcat, nosque de difficilioribus subinde monet, (2.) Temperavit nimirum Spiritus Sanct. Scripturas Sacras ceu normam Doctrinæ in rebus divinis & ad salutem pertinentibus, ita ut quædam aperta & clara, alia subinde difficiliora & magis recondita essent, ad excitandum studium & meditationem ex una parte, ex altera evitandum tædium super iis quæ plana sunt & aperta facile: imprimis autem pro certo ordine, hominum statuumque indole vitæque civilis ratione, ubi alii simpliciores, alii ingeniosiores & profundiores, alii doctores, alii discentes. (3) Hinc in universum pro omnibus *aperte posita sunt præcepta vivendi & regula credendi*, juxta tritissimum illud Augustini in libro de doctrina Christiana, prout tamen quisque capacior est, magis indagare, & profundius meditari potest: quod

(I) *quoad sensum SS. probatur ex Mediis*

(II) *Ubi studio & meditatione opus est.*

(1)

(2) *Temperamentum eorum quæ clara & difficilia.*

(3) *Perspicuitas in necessariis, studium in aliis.*

vero

vero ſpeciali nomine docentibus incumbit, utpote *à quorum ore legem ſeu doctrinam quærere debent diſcentes.* Malach. II, 7. quique dati ſunt à Chriſto, ad inſtaurationem Sanctorum, ad agnitionem Filii DEI, ad augmenta Spiritualia in veritate & ſapientia Divina. *Eph.* IV, 25.

§. CXXXII. Vnde (III.) porro non opus eſt, nec poſtulat id divinæ providentiæ diſpenſatio, ut ſimplex quivis æque omnia in SS. intelligat & inquirat. Ordinata ſane & graduali perſpicuitate tradidiſſe Numen decreta ſua nihil abſurdi eſt, neque intra facillimum tradendi modum par erat DEUM conſtringere, cum ſufficiat bonitatem ejus exinde jam noſſe, quod verè & ſincere, licet ſub certo ordine & ſuppoſitione mediorum requiſitorum demonſtraverit voluntatem ſuam, cum ipſe dona huc neceſſaria quoque largiatur. I. *Cor.* XII, 1. ſeqq. *Rom.* XII, 6. ſeqq. Multò minus neceſſarium erat, ut omnia ſimul & ſemel in SS. legenti clarescerent, annon enim in Arbitrio ſummi Benefactoris poſitum erat, ut ſucceſſivè magis magisque ex Oceano illo SS. hauriretur: & ſanè inde ab antiquiſſimis temporibus usque ad hæc noſtra multa dilucidata ſunt ſcripturæ loca, & jndices magis illuceſcunt, quam olim, ubi præſidia neceſſaria non tam in promptu erant, vel etiam obſtacula & impedimenta majora per hoſtes injiciebantur. (4) Etſi vero lites & variæ concertationes actu non ſopitæ ſunt, etiam in rebus & ſenſibus maximi momenti; propterea tamen via Spiritus S. haud recte inſufficientiæ arguetur & imprudentiæ. Nam (α) id nullo jure Viæ & conſilio Spiritus Sanct. tribui poteſt, *&c.*

III. Haud incongruum, DEVM perſpicuitate graduali tradidiſſe verbum ſuum.

(IV) Spiritus S. via non eſt inſufficientiæ accuſanda.

(α) *obſtat illi málitiæ hominum.*

poteſt, ſed pervicaciæ, præjudiciis cæcitati, perverſis moribus, educationi, diſciplinæ corruptæ hominum, qui etiam ſolis radiis obſtrepunt. (β) prædixit Scriptura: *oportere hæreſes eſſe*, ut qui probati ſunt manifeſti fiant. 1. *Cor.* XI, 19. ſi via eſt, methodusque, qua omnes ſcrupuli plene removentur, lites finiantur, fruſtra proſpexit divina ſapientia omnia prævidens & ex illo fundamento monita nectens. Et (γ) ſi talis detur via, methodus, ubi ſummæ circa DEUM, Chriſtum cauſasque ſalutis noſtræ, veritates non determinato & limitato ſenſu recipiuntur, & falſa cum veris admitti poſſunt, ſi modo ad aliquam pietatem dirigantur, quomodo opus fuit monitis ſanctis? *declinate ab illis qui præter doctrinam Apoſtolicam diſſidia ſerunt Rom.* XVI, 17. *ſi quis venit ad vos, & hanc doctrinam Chriſti non affert, ne recipiatis eum in domum* &c. juxta *Poireti* methodum Turcas, Judæos paganos in communionem interiorem admittere fas eſt, ſi modo pietatis habeant ſpeciem. Et quo pertinebit iſtud ad Eccleſiæ doctores monitum? *Tit.* I, 9. *tenacem eſſe fidelis ſermonis ſecundum doctrinam, num* illa forte doctrina eſt tantum doctrina pietatis? Minimè ſed & Veritatis Pſ. 14. ut ſani ſint in fide v. 13. oppoſita Judaicis fabulis & præceptis hominum *verſ.* 14. *Formam habeto ſanorum, verborum quæ audiviſti, in fide & charitate* ſcribit Paulus 2. *Tim.* I, 13. non in charitate tantum erga DEUM & proximum, ſed in fide & charitate, quæ aliquando per compendium dicuntur pietas.

(β) *prædixit id Spiritus S.*

(γ.) *Per Poireti viam monita SS. cadunt.*

(δ) *Diruptio ſtium in*

§. CXXIII. (δ) Jam veteres Eccleſiæ Doctores ſollicite diſtinxerunt inter ea, quæ ad *fidei regulam* ſpectant,

ctant, quæque omnibus credentibus ſunt neceſſaria, & ea, quæ ad ſapientiæ & ſcientiæ exercitium pertinent. Ibi neceſſarium eſt, ut lites dirimantur, in fundamentalibus nempe & ad ſalutem neceſſariis, in aliis quibuscunque, quæ non ad fundamentalia ſpectant, aut cum iis neceſſario cohærent, in charitate diſſenſus tolerari, & in utramque partem diſputari poteſt: ſi modo ad finem veritatis & ædificationem omnia dirigantur. (ε) Neque vel Pontifice, vel lumine aliquo immediato interno opus hic eſt. Spiritus ipſe Sanctus in verbo ſuo & per verbum indicat, convincit, teſtatur, ſententiam imprimit, certificat. *Joh.* III, 18. Qui non credit, jam judicatur, condemnatus eſt, nempe in verbo, de quo ait alibi: Sermo, quem locutus ſum, judicabit eum in extremo die. Joh. XII, 48. Spiritus teſtis eſt de DEO teſtans & teſtis DEus, ducit in omnem veritatem arguit mundum, conteſtatur Spiritui noſtro. 1. Joh. V, 7. 8. Joh. XVI, 13. 8. Rom. VIII, 16. Spiritus ſcientiæ per quem ſcimus, quæ à Chriſto donata nobis 1. Cor. II, 12. Spiritus docens ſermones ſeu doctrinam Apoſtolicam, nempe non exterius tantum per verbum, ſed & interius per idem. (ζ) Si effectus à Spiritu Sanct. intentus non ſequatur; homo in culpa eſt: aliquando eſt convictio facta pædagogica, ut ita loquar & externa per media adducentia, aliquando interna per ipſam Spiritus Sanct. obſignationem: Sed plures non attendunt, non inhærent, aut eam carnalibus reſpectibus obliterant, & contemnunt conſilium ſalutis, ut Phariſæi. (η) Neque vero ulla methodus aut via in ſacris reperiri poterit, quæ omnes conſentientes, nec ullam con-

omnibus non eſt neceſſaria

(ε) *Spiritus S. tamen ſufficienter ad ſalutem dirimit lites, judicando, teſtando &c.*

(ζ) *Qui vero non attenditur a pervicacibus*

(η) *Nec datur via ab*

 tradi-

omnibus admiſſa.

traditionem habeat: manent enim caro, & Spiritus, Mundus & civitas DEI, homo internus & externus, oves & lupi, lux & tenebræ, DEUS, Pater luminum & Satanas tenebrarum Spiritus: unde lites, Schismata adverſus veritatem, ſi via ſit vera & bona. Si falſa & perverſa, merito oppugnatur. (θ) Optimum ergo eſt Sapientiæ, prudentiæ divinæ adhærere, id eſt verbo DEI, & viæ ibi monſtratæ. Hæc ſapientia, hæc via eſt, *ſapientem reddens ſimplicem, oculos mentis illuminans.* Pſ. XIX, 8. ibi *lucerna pedibus noſtris & lumen ſemitis noſtris.* Pſ. CXIX. *verſ.* 105. II. Petr. I. *Sapientem reddens ad ſalutem.* II. Tim. III, 15. Via Poiretiana non ſapientem reddit ſapientiâ Spirituali divina ſed rationis corruptæ; quicquid luminis divini prætendat: in caliginem, in infinitum fundum introducit, ubi nihil eſt: ſummæ doctrinæ capita obſcurat, luxat in fidem aliquam implicitam reſolvit.

(θ) *Prudentiæ divinæ inhærendum.*

Nec procedere viam & methodum Poiretiin rebus ipſis ac myſteriis.

§. CXXXIV. Si res ipſas, myſteria præſertim reſpiciamus in Scriptura Sacra contenta, nunquam deerit miſeræ rationi & carni, quod opponat, ſuper quo dubitet, ſcrupulosiniiciat: inevidentia, ſunt & ſola autoritate dicentis DEI credita, ad horum naturam & indolem pernoſcendam nulla datur via, nulla methodus, ea ratione diſtinctè cognoſcere & percipere velle eſt ſapientiæ divinæ adverſum, quæ nos docet, talia adprehendi non vi rationis, cui evidentia fieri queant, ſed per id quod *accipiuntur ut ſermo DEI ut verbum DEI*, qui ita fidem operatur. I. *Theſ.* II, 13. ψυχικὸς homo non accipit Spiritualia, non poteſt ea cognoſcere I. *Cor.* II, 14. Per illuminationem autem accipit, & cognoſcit,

gnoſcit, non quod tum evidentia reddantur, quæ per naturam inevidentia & obſcura, manent enim myſteria & ſupernaturaliaetiam poſt illuminationem, quæ caro & ſanguis, id eſt, omnis excellentia omnesque vires Animæ, non revelant, neque aſſequuntur: ſed ſolus DEus Pater revelat. *Matth.* XVI. ſicut exterius concione verbi, ita interius per idem verbum perceptum ac repetitum. *Poiret* quidem, utipſe putat, evidenti nexu & demonſtratione jungit Doctrinæ Sacræ compagem, ſed ad ſuos conceptus & ideas omnia torquet, è myſteriis objecta mere naturalia faciens, ut infra patebit. Sed hoc ipſo tanto magis Sapientiæ & prudentiæ divinæ refragatur, ad ſuum duntaxat cerebrum Scripturæ myſteria flectens, licet ſub formali ratione luminis divini immediati; quo ultimo ſepoſito, in priore cum *Rationaliſtis* convenit, nihil accepturus niſi quod cum ratione concordat ratione menſurari poteſt: licet de cætero fateatur, non omnia conceptibus ſuis aſſequi, ſed ſe reſignare immenſo lumini cui cogitata ſua ſubjiciat. Hinc colligo: quæ via ſalutis, quæ methodus peculiare lumen & immediatum præter & extra ſcripturam Sacram ſubſtituit, ad ſenſum Script. Sacræ percipiendum graviſſimorum Doctrinæ capitum momentum & pondus ac neceſſitatem minuit, ac deſtruit, aſſenſum & iudicium ſuper illorum determinata veritate ſuſpendit, eademque ad rationes decempedam revocat, & pietatem qualemcunque tanquam normam ſeu criterium divinitus ſentiendi & ſtatuendi facit, Media autem à DEo ordinata reiicit, & monita Spiritus Sanct. ſevera & luculentiſſima in verbo DEI deſtruit, Judicium, teſtimonium Spiritus S. ibidem

Summa hujus Argumenti.

in-

insuper habet, falsa veris misceri tanquam præparatoria & adminicula ad salutem permittit &c. illa via, illa methodus non est conveniens Prudentiæ divinæ. Atque methodus, & via de qua loquitur hîc. E.

III. *Via Authoris anceps fallax hypocritica sensui Ecclesiæ adversa ubi*

§. CXXXV. Est vero via Authoris porro *anceps, fallax, hypocritica*, verbis & nominibus utens, è Scriptura & Ecclesiæ confessionibus desumtis, sed sensu plane contrario & compagem sanorum verborum penitus solvente, quam proinde viam NEMO LUTHERANUS, NISI PERJURUS VEL APOSTATA sequi aut docere potest. *Primò* de *Principio cognoscendi* veritatem salutarem doctrinamque

I. *De Principio cognoscendi & Norma Doctrinæ Scriptura SS. regula.*

divinam statuit & docet *Ecclesia Protestantium Lutheranorum* constanter & magno Zelo: *Solam & unicam Scripturam Sacram* libris *illis quos vocamus, canonicos Prophetarum & Apostolorum doctrinam continentes, contentam esse principium cognoscendi salutarem doctrinam esse Normam unicam & certissimam, ad quam omnia dogmata exigere, & secundum quam de omnibus* tum doctrinis *tum doctoribus judicare oportet*, ut loquuntur Confessores in sol. repetit. & declarat. Add. *Epit.* Artic. *Præfat.* libri Concord. *Poiretus* passim usurpat Nomen *Scripturarum Sacrarum*, *Codicis Sacri*, scribit de ejus *authoritate, certitudine* & *usu.* Ast attende, quid de Scripturis statuat cum sociis: *Nullum* inquit, Ratio humana *illustrius soliditatis sue documentum* edidit, *quam quod alii de Sacra Scriptura, ut uno salutifero DEI verbo cui soli inhærendum sit, loqui amant, quodque nonnisi in istis vel illis libris reperiatur, quos ipsi pro canonicis venditant, hisque solis Sacrum Canonem* concludi gratis dicunt:

cunt: *Alii vero &c. pro hisce suis placitis tanquam pro aris & focis pugnant.* En! Confessionem Protestantium Lutheranam, (ne dicamus de aliis) stolidam, ratione nixam stoliditatem vocat, & sic doctrina de Scriptura Sacra, *Fundamento, principio, Norma* doctrinæ salutaris RATIONIS STOLIDÆ ILLUSTRE DOCUMENTUM appellatur GRATIS ET VANO INSTITUTO *dui verbum DEI salutiferum bis contineri, hos solos esse canonicos.* Gravis sane & intolerabilis accusatio Ecclesia, per quam sanè salute excidit æterna neque amplius est Ecclesia. Deinde quævis alia Scripta vere ad Christum ducentia, & ejus amorem & imitationem, æquiparat Scripturæ, eisque ad excitandum nostrum torporem tanquam lucernæ lucenti in loco caliginoso non minus attendendum esse. II. Petr. I. vid. de Fid. Access. secund. p. 313. Vnde alibi p. 260. legitur: *tam Sacri quem vocant Codicis, quam aliorum superna unctione scriptorum* librorum *officium esse & scopum, extrinsecus ferire sensus, & excitare hominem, ut in se secedat.* Sic ergo Scripturæ autoritatem Canonicam, theopneustiam illi soli competentem, necessitatem, vim & efficaciam internam pertinaciter negat, verbumque DEI blasphemat.

§. CXXXVII. Fatentur confessores nostri in *Artic. Smalkald. In hoc nobis est constanter perseverandum, quòd DEUS non velit Nobiscum aliter* agere, nisi *per vocale verbum & sacramenta, & quod quicquid sine verbo & sacramentis jactatur, ut Spiritus, sit ipse Diabolus* l. c. Num. 8. de Confessione. *Poiretus* multa utique deblaterat de verbo per quod DEUS in-

De verbo DEI vocali & Sacramentis.

nobis agat, sed non intelligit verbum vocale & Sacramenta: verum *internum* quoddam *insitum substantiale*, illi verbo contradistinctum: quod vocat *Christum in Nobis*, verbum *internum*, Evangelium insitum: Tr. *commend.* de Scripturæ Sacræ certitudine p. 303. Et tamen de eodem verbo ait: quod sit illud ipsum γνωστὸν τῦ θεῦ omnibus gentibus manifestum. Rom. I, 19. Sic omnes illuminare &c. Spiritum, Christum, lumen internum fingit apud eos, qui verbo carent, quod quid aliud est, quam ipse Diabolus? Hunc Diabolum confundit cum Lumine Naturæ, ut & *Quackeri*, Revelationem supernaturalem cum naturali. De *Baptismo* multa jactat, non esse merum signum distinctionis, hominem animo præparatum & affectum baptismo tinctum, gratiam inhabitantem Spiritus Sanct. recipere. Manifeste tamen fatetur: *Baptismum aquæ solum & per se nullam utilitatem salutarem afferre, nec quenquam servare. Infantes etsi baptismo nondum abluti sint, tamen peccato mortuos ac Spiritui Sancto vivere censeri propter Fidem & vivam charitatem parentum suorum.* Horum virtutes infantes NB. tam vere in se possidere, ut si forte anima *subitò per mortem corporis ante usum baptismi ad libertatem facultatum suarum perveniat; repente se puram sit visura.* Oecon. IV. 5. &c. Nos Profitemur in *Aug. Conf.* Art. V. *per verbum & Sacramenta, tanquam per instrumenta donari Spiritum Sanct.* qui fidem efficit: quomodo *Eucharistiæ* institutum corrumpat: Vid. *Oec.* lib. IV, *cap.* 6.

De Mysterio Trinitatis

§. CXXXVII. *Mysterium Trinitatis*, seu DEUM in essentia unum & in Personis trinum magno Zelo doce-

docere videtur, & tamen ejus quiquid eſt, in merum rationis conceptum detorquet, & ex ipſa eſſentia ſeu natura divina per medium rationis ceu irrefragabilem veritatem myſterii educit. Vid. Oecon. I. cap. I. & II. Add. I. 14. p. 198. *De Idea fundamentali. De Chriſto*, ejus paſſione & morte, officio mediatorio, & ſatisfactione multa & prolixe ſcribit, & tamen revera alium fingit prorſus Chriſtum quam quem ſcriptura nobis revelat: vim & nervum vero meriti & ſatisfactionis Chriſti penitus deſtruit, & tamen præ ſe fert Elenchum *Socinianorum lib.* III. cap. IV. p. 644. ſcribit: *declaro, me ſummopere abominari Socinianorum, Doctrinam, quæ nec neceſſitatem J. Chriſti liberatoris neque magnitudinem & efficaciam infinitam meritorum Ipſius, neque divinitatem ejus æternam, quæ neceſſaria eſt ad faciendum opus Redemptionis, imo neque fundum miſeriæ & ægritudinis humanæ, neque verum ejus remedium, gratiam DEI internam agnoſcit.* Vocat Socinianos *mancipia Rationis humanæ corrupta & a ſatana excœcata.* Ipſe tamen, quod *divinam naturam* Filii DEI ejusque *generationem* attinet, unam eandemque originem ei adſcribit, unam eandemque naturam & eſſentiam, quam Animæ & Angelis lib. I. c. XI §. 7. *Res intelligentes ex DEO natas eſſe perinde ac Filium DEI, hoc eſt, eas eſſentiam naturamque ſuam ab ipſius DEI natura accepiſſe, quemadmodum verbum naturam ſuam a Patre habet: Filii DEI tanquam primogeniti fratres eſſe alios, poſt ipſum tamen natos eſſe.* Rurſus: *Homo* ratione Mentis-vere *ex DEO natus eſt, perinde atque ipſum verbum divinum.* I. 10. 16. Quoad *humana*

De Chriſto & ejus Meri-to ac ſatisfactione ubi.

(1) *Zelus hypocriticus contra Socinianos.*

(2) *Sententia Poireti de Filio DEI ejusque natura divina & generatione.*

(3) *De ejus natura humana & incarnatione.*

nam naturam Filiique DEI incarnationem: juxta Authorum non ceu Medicus, ſuppoſito lapſu, & morbo generis humani, ſed jam in ſtatu Integritatis adſcivit humanam naturam, neque id adeo ex Maria ſed ex primo homine Adamo: neque ſolus Filius DEI ſecunda perſona divinitatis adſcivit ſibi humanam naturam, *ſed DEVS per verbum ſuum & Amorem ſe univit cum mente & corpore ex Adamo. Hæc humanitas* divinitati unita eſt juxta eum Jeſus Chriſtus. Oec. III. 11. 15. III. 5. 8. Eadem divina Majeſtas, juxta Authorem corpus ſuum glorioſum obtexit, in gremio Virginis, ubi carnem noſtram mortalem aſſumere voluit, nec tamen ipſum corpus deſtructum, nec unio ſoluta, & potuit DEUS per potentiam ſuam facile ad parvam ſtaturam reducere corpus ſuum, quod eſt *evacuare* Phil. 2. Neque tamen è duobus corporibus diverſis fuiſſe compoſitum corpus Chriſti ait, ſicut veſtis candida & luminoſa in tincturam craſſam & opacam demerſa materiam illam imbibit. Oec. IV. 2. *Prodigioſa iſta*, nequid gravius dicamus, ſomnia ſunt, alium prorſus Chriſtum, quam didicimus è S.S. nobis formantia, Divinitas communis cum eſſentia & natura ſpirituum: humanitas in Paradiſo recepta & in Maria tantum mortali & fragili indole tincta, horrenda monſtra myſteria ad conceptus Rationis flectentia.

De Merito & ſatisfactione Chriſti.

§. CXXXIIX. Sed quis finis hujus fictæ Incarnationis? putares, cum author abominetur *Socinianam* doctrinam, eum optima quævis & meliora illis producturum eſſe. At ex adverſo doctrinam de juſtitia vindicativa DEI, qua poſtulante ſatisfactum ſit à Chri-

Christo, qui pro hominibus sit substitutus, pœna peccati loco nostrum tulerit *figmentum* vocat Scholasticum, *crudelem furiosum* arguens DEUM: *Infelici ait sydere natum est Scholasticorum inventum, qui pro justitia DEI substituunt principium aliquod crudelitatis aut severitatis, quod homines, si quando deliquerint, tormentis, a Deo affligi debeant.* Oec. III. 5. 16. Quænam ergo est justitia DEI d. I. juxta Authorem? *Justitia divina vult, ut privatio luminis* & amoris *ejusdemque privationis sensus inevitabili necessitate obveniat singulis qui peccent, nec liberatio datur a peccati poena nisi per donationem luminis & Amoris DEI hoc est per infusionem Fidei & Charitatis.* Quid ais? nonne Author meritum & satisfactionem explicat, tuetur, vindicat? Vid. *lib* III. *cap.* V. de Christi interventu. Minime vero: figmenta, fascinationes fundit: *solum*, inquit, *meritum* J. Christi *Justitiæ DEI satisfecit.* Num operum & passionum pro nobis exantlatum & præstitum? *Non: meritum personæ DEO unitæ & amatæ, cui nihil jure denegari debeat.* Oec. III. 5. 18. Verbo: Hæc est justitia h. l. *ut quando creatura libera se a DEO averterit, bonitas DEI nihil quicquam in eo operetur. Justitia tamen non exigit, ut creatura malum patiatur, licet se liberare nequeat, nam Christus, utpote cui DEUS intime unitur, ita ut ipse DEUS sit, vi suæ dignitatis, cum sit divina, sanctissima persona intervenit, DEUM efficacissime deprecando, ut iterum operari incipiat gratiose in homine, fideiubens, eum deinceps omni malo* renuntiaturum esse. l. c. Hæc scilicet est egregia illa satisfactio, ubi nimirum nulla justitia Judiciaria, nullum pœnæ meritum, nullæ pas-

siones

siones pro malo actionis, nulla pro homine peccatore alterius substitutio, nullum redemptionis, pretium. Hæc omnia Homini sunt scholastica, ficta, crudelia, cum vel antiquissimi gentiles de Justitia DEI meliora & saniora cogitaverint, non Scholastici demum: Scriptura verò & illud de Justitia, & reliqua solis radiis ita illustraverit, ut obcœcatum prorsus esse oporteat, qui videre nolit.

De Fide in JEsum Christum Poiretiana.

§. CXXXIX. Hinc facile quivis judicat, quænam sit *Fides in J. Christum*, quam *Poiretus* passim jactat, & alicubi hanc egregiam commentationem veluti in verba truncata symboli Apostolici prodit? CREDO IN FILIVM: *hoc est intellectum meum evacuatum lumini verbi divini resigno, ut tenebris meis me exsolvat, modo ineffabili, quemadmodum humanitatem suam illustravit & direxit, & pro explorato habeo, cum ex illuminatione hac ut ut in me generali hactenus & implicita, totidem radios particulares & cognitiones effusurum, quot ad salutem necessarias perspexerit* &c. Oec. V. 4. 66. Conf. quæ supra monuimus & Tr. de Fide & de Fide nuda Accuss. I. & Adde, quæ *de cognitione Christi historica* Part. II, sect. VIII. Ubi dicitur, *jure postulo, ut melius, quam hucusque, probetur: cognitionem Christi historicam esse necessariam absolute ad salutem, ita ut ignorantia etsi non a mala voluntate descendens damnet* &c. Hæc igitur Poiretiana Fides in Christum " erit brevissime ac per compendium, aliud nihil, " quam desiderium luminis substantialis Filii DEI, seu " quo quis quærit, desiderat lumen substantiale internum " eidemque se resignat, recepturus ab eo, quicquid "

ipsi

ipſi placuerit, ſive verum ſive falſum, ipſam nempe lumi " nis ſubſtantialis illius perceptionem & nativitatem in animo, & adquieſcentiam in illo: quicquid ſit de Chriſto in Scriptura Sacra revelato, cujus notitia neceſſaria non eſt. Fides nimirum, non ex verbo DEI hauſta ſed immediato lumine: Fides non notitiæ & aſſenſus, ſed *nuda, cæca*, mere reſignativa, ſceptica in aere tenebroſo, caligine volitans, luminis tamen receptiva, ſed ficti, erronei, imaginarii, nomine quidem *Filii DEI*, ſed reipſa non illius unigeniti in ſcriptura Nobis depicti, ſed ideæ cerebroſæ ſub Schemate luminis ſubſtantialis: nomine *JEſu Chriſti*, ſed non illius, qui ſuperventu Spiritus S. in Maria conceptus & natus, ſed DEUS, qui in Paradiſo naturam humanam animam & corpus glorioſum induit, & in utero virginali mortalitate & fragili natura tinxit, ad converſationem hominibus utilem: Fides non in merito & ſatisfactione JEſu Chriſti adquieſcens, ut hactenus Eccleſia docuit, ſed *deditio fundi animæ*, quam *committimus fidei Spiritus Sancti*, ut Ipſe excitet, quod libuerit. Verbo: fides fanatica in Chriſtum, ſine Chriſto, lumen ſine lumine, fides ſine fide, fiducia in Chriſto ſine fiducia id eſt, contradictio irretita, falſa, & hypocritica. Inter alios tamen hujus fidei effectus *Juſtificationem* deprædicat: nomine denuo utitur cum ſcriptura & Eccleſia, rem prorſus corrumpit, ſtipulas pro tritico venditat, umbram pro veritate: nec mirum, ubi enim nulla vera fides in Chriſtum, ejusque merito & ſatisfactione nixa, ibi nec vera & fundata juſtificatio eſſe poteſt. Vid. horrenda perverſio Articuli hujus lib. V. cap. VIII. Oec. & adde Tr. nov. *de Juſti-* *De Juſtificatione.*

Justificat. Hæc loco speciminis, de reliquis enim facile exinde judicari potest.

IV. Via S. Sacræ adversa.

§. CXL. Adversatur quartò via *Poireto* placens & commendata, uti jam patet ex superioribus, Scripturæ Sacræ, & quidem primis etiam & luculentissimis in ea fidei regulis: Nam *primò* Author Principium, normam, fundamentum salutaris doctrinæ & fidei, quod etiam Paganis commune sit, quo Christum cognoscant, illuminentur & salvari queant, ponit lumen quoddam internum immediatum ut supra patuit: Lumen inquam substantiale Filium DEI. Ast Scriptura non modo nihil de tali lumine extra & præter scripturam dato innuit, sed & in contrariam plane sententiam nos ducit. Nam (1.) *Catenam salutis* ita nectit, Rom. X. ut illam non aliter obtingere asserat, quam per prædicationem verbi seu Evangelii de Christo: *si confessus fueris ore tuo Dominum JEsum, & credideris in corde tuo &c, salvus eris* v. 9. *quisquis invocaverit nomen Domini salvus erit. vers. 13.* At quænam sunt Media perveniendi ad salutarem illam cognitionem & Invocationem Domini? Num universale quoddam lumen immediatum præter & extra verbum DEI? Minime, quodnam ergo Medium? Prædicatio & Auditus verbi DEI: *quomodo invocabunt, in quem non crediderunt, quomodo credunt sine prædicante? quomodo prædicabunt nisi fuerint missi. Fides igitur est ex auditu*, auditus per verbum. v. 13. 14. 15. 16. 17. (2) Tempora & statum Gentium describit, tanquam tempora & statum *sine Christo, sine DEO, Eph.* II, 12. adeoque sine lumine illo substantiali, & sine cognitione veri DEI. (3) Vocat ætatem illam, tempora *Ignorantiæ*, & *viarum*

I. De Lumine immediato interno universali.

Elenchus.

rum gentilium Act. XVII. 30. it. 16. quibus opponuntur tempora Visitationis DEI per revelationem JEsu Christi in carne, Luc. I. 68. 69. (4.) Mysterium de Christo vocat Mysterium *temporibus æternis tacitum, nunc autem manifestatum per Scripturas prophetic as.* Si Christus ceu lumen substantiale in gentibus extra Scripturas fuit propheticas, quomodo demum per illas manifestatur? (5.) Manifesto distingvit Scriptura inter *lumen Naturæ* quod gentibus tribuit, quo aliquid de DEO cognoscitur, & inter lumen substantiale Christum Filium DEI hominem factum, hunc per prædicationem verbi & missionem Apostolorum notum factum testatur, illud autem insitum naturaliter gentibus; revelatum quidem & ipsum dicitur Rom. 1. 19. sed revelatione aliqua generaliter ita dicta, ut tantum impressionem naturalem denotet, sive talis facultatis per creationem concessionem, qua per modum habitus poterant aliquid de DEO cognoscere. Ast alia revelatio designatur, per quam Christus patefactus est. Equidem in Tr. *de Scripturæ certitudine* cujus Editorem & Commendatorem se Poiretus profitetur, ad verbum illud internum substantiale immediatum refertur, quò & alterum locum reducit *Rom.* X. 18. *sonus eorum exivit in omnem terram*, quod de externis Apostolorum verbis non sit impletum. Cur vero non? *Col.* 1. 23. dicitur Evangelium prædicatum esse (κηρυχθὲν) *omni creaturæ* sc. rationali sub cœlo. Et quomodo verbum illud internum poterit esse, num notitia gentilium confusa naturalis est ex verbo Fidei? num credunt illi in JEsum Christum stylo S. Scripturæ ex illo interno

lumine? Est fides ex auditu de qua hic sermo est, illa notitia non est ex auditu, sed partim intus in gentibus, partim ex inspectione creaturarum hauritur originaliter.

Vindicantur loca S. Sacræ

§. CXLI. Cæterum compilavit Author magnum testimoniorum numerum in Editione nova librorum de Eruditione, & remittit simul in præfat. lib. de Fide & Rat. ad Access. II. ubi id tantum de locis illis Johanneis notare haud abs re erit, veluti Joh. I. 9. VIII. 12. quod ibi utique de Christo, lumine substantiali ut & aliis pluribus locis agatur, sed quid hoc ad lumen istud internum immediatum universale? Christus sanè lux Mundi, illustravit eum in mediis tenebris Doctrinâ, veritate, e sinu Patris, Ioh. I. 28. Sed à re ipsa ad istum determinatum modum illuminationis immediatæ, interioris, universalis N. V. C. Lux erat primùm orbem Indicio gratiæ & misericordiæ divinæ erga peccatores reficiens, Patribus in assumta viri forma apparens, deinde per spiritum suum propheticum docens instruens, denique in carne seu humana natura sibi personaliter unita, se Mundi Mediatorem sistens, suamque doctrinam & voluntatem Patris per universum orbem illustriore & solenniore modo dispensans per Apostolos, quorum pes quò non pervenit, eò tamen doctrina vel sonus penetravit. Hæc est illa lux universalis, mundum illuminans, juxta Scripturas. Si quæ gentes oculos & aures præclusérunt, seque luce illa privarunt, illumque defectum & conditionem ad posteros propagarunt, fundatum tamen manet elogium lucis mundi, imo lucis *illuminantis*

nantis omnem hominem, qui in mundum venit, Mundo enim se obtulit, ut ad omnes perveniret notitia sui, ut omnes illuminarentur: si alicubi gradus illuminantis gratiæ fuere & adhuc sunt diminutiores; in libera & justissima dispensatione positum erat, vel justo judicio & ex culpa hominum restringere gratiam, vel ex causis arcanis, sanctis tamen ita distribuere. Paulus cum Oecononiam salutis gentium & Iudæorum considerarct, profunditatem divinæ sapientiæ agnovit, & admiratus est. Rom. XI. 33. Neque vero difficultates minuuntur, si lumen aliquod immediatum universale internum statuatur, quod omnem hominem illuminet, num enim omnes actu illuminantur illo? nonne barbaræ sunt gentes, quæ obbrutuere, bestiæ magis, quam homines: ubi perinde atque ex nostra sententia erit distingvendum inter voluntatem & intentionem illuminandi, & inter ipsum actum, ac rursus: inter actum & ejus effectum s. actus receptionem, s. admissionem.

(11) *De Scriptura S. & Spiritu S. cum ipsa unito &. illuminatione.*

§. CXLII. *Secundo* Author cum amicis suis S. Scram haud aliter æstimat, quã librum sacrum utilem quidem sed non necessarium, primum in sacris principium cognoscendi, regulam unicam & normam, quo recurrendum sit in quæstionibus Fidei & salutis: alios libros veluti mysticorum sanctorumque suo judicio, ei jungit & æquiparat: ast Scriptura S. testatur aliud, ibi Spiritus S. nos ad verbum Dei in Scripturis propositum, tanquam unicum principium, & normam remittit Esai. VIII. 20. Luc. XVI. 31. &c. praxis sanctorum, Regum in V. T. Christi ipsius & Apostolorum huc tendit, utpote qui vel in

controverſiis, vel in Reformationibus & recto cultu DEI reſtaurando ad hanc unice regulam reſpexerunt, non ad immediatum quoddam lumen ab illa ſeparatum. Hæc una Scriptura dicitur θεόπνευστος, & ſapientem ita reddens, ut etiam homo DEI, miniſter DEI ad omne opus bonum perficiendum ex officio, ex ea inſtituatur. Hujus ſcrutinium injunctum, hæc tanquam principium, vitam æternam notificans & conferens II. Tim. III. 16. Ioh. V. 39. alii omnes libri, doctrinæ, ſententiæ in ſacris juxta hanc normam exponendæ. In hac ſubſiſtendum. Vrget Author præcipue in defenſione ad libros *de Erudit.* p. 485. *Immediatam illuminationem, & Spiritus S. operationem.* Alibi in eadem defenſione p. 474. ſcribit: *quid pellet mortis tenebras, ſi non detur operatio DEI illuminans, quid opus eſſet ſalvatore & Inſtauratore DEO, qui eſſet lux noſtra & illuminatio noſtra?* Doctores Chriſtianos veteres & recentiores colligit tanquam conſentientes ſibi, Aſt Scriptura ſacra de nulla alia ordinaria illuminatione novit, quam de illa, quæ eſt in & per ſcripturam S. ſeu verbum DEI, hæc eſt *Spiritus & vita Joh.* VI. hæc eſt *potentia DEI ad ſalutem, Evangelium* nempe *DEI*, non intus in hominibus connatum, ſed per prophetas *promiſſum in Scripturis ſanctis. Rom.* I. 2. Hîc eſt *revelatio Spiritus S. DEI per Spiritum* I. *Cor.* II, 10. Spiritus eſt non immediate revelans ſed *ex prædicatione* Fidei datus. *Gal.* III, 8. *Spiritus ac potentia*, non immediate intus in corde ſe *demonſtrans*, ſed NB. *in ſermone & prædicatione Apoſtolica*, oppoſita *perſvaſoriis humanæ ſapientiæ verbis.* I. Cor. II, 4. non ergo Spiritus impropriè, in efficacia aliqua obje-

objectiva morali ſermonum, nec meris verbis, ſed Spiritus omnipotens, non tamen à verbo ſeparatus, ſed cum illo unitus, quia hoc verbum eſt Spiritus & vita, potentia DEI ad ſalutem, eſt *ſemen immortale ex quo renaſcimur* 1. *Petr.* I. 23. Vnde eſt, quod λόγος ἔμφυτος *inſitus* ſc. *per ſermonem illum Jac.* 1. 21. 23. poſſit ſalvare animas noſtras: Eſt *Spiritus ſ. promiſſionis quo obſignamur*, quo modo vero? ἀκούσαντες τὸν λόγον τῆς ἀληθείας καὶ πιστεύσαντες audientes verbum DEI & credentes *Eph.* I. 13. Hinc *illuminatio verſ.* 18. c. l. non immediata, ſed per verbum DEI ſpirituale, divinum, per quod etiam regeneramur, per quod ſalvamur, ut antea. Hoc eſt illud verbum, quod accipimus, non *ut verbum hominum, ſed ut verbum DEI, DEO in nobis operante.* I. *Theſſ.* II. 10. ſed quomodo? num attendentibus interno lumini & ſe reſignando illi? Minime; ſed ἐν τοῖς πιστεύουσι *in credentibus*, quidnam vero credendum? ſermo ab Apoſtolis prædicatus. *Eodem verſ.*

§. CXLIII. Argumentor: Quæ illuminatio fit per Spiritum verbo DEI conjunctum, quod verbum propterea eſt & dicitur Spiritus & vita, potentia DEI, oſtendens ſe in prædicatione Apoſtolica, Scripturis ſacris comprehenſa, quod Verbum inſitum animabus per prædicationem ſalvare eas poteſt, quod audientes & credentes obſignamur Spiritu, illuminamur, quod audiendo & credendo, DEus in nobis operatur, nos illuminat, obſignat &c. illa illuminatio & operatio DEI gratioſa non eſt immediata ſed mediata per verbum, per Spiritum verbo conjunctum, & per illud operantem, illuminantem, teſtantem, *Summa probationis.*

tem, obſignantem. A. E. Hinc porro διὰ τῆς μωρίας τῦ κηρύγματος PER *prædicationis ſtultitiam* nos ſalvari dicimur 1. Cor. I. 21. Nec alia illuminatio eſt, de qua II. Cor. IV. 6. ubi dicitur *DEVS illuxiſſe in cordibus noſtris ad illuminationem cognitionis gloriæ DEI* in facie Jeſu Chriſti. Allegat Author dictum pro *immediata*, aſt manifeſtó refragatur contextus loci, nam verſ. 4. vocat φωτισμὸν τῦ εὐαγγελίυ illuminationem Evangelii quod juxta v. 5. ab Apoſtolis prædicatum, Evangelium gloriæ Chriſti. Quæ illuminatio fit per illuminationem Evangelii, gloriam Chriſti nobis ob oculos ponentis, illa non eſt immediata revelatio. Sic & alter locus ab ipſo productus ex II. *Cor.* III. 18. nihil ad rem facit, & jam Quackeris aliisque fanaticis multoties a noſtratibus reſponſum eſt. *Nos retecta facie gloriam domini κατοπτριζόμενοι, ad eandem imaginem transformamur; à gloria in gloriam tanquam a Domino* Vid. B. *Bajerus* noſter ſupra allegat. diſſ. & B. *Schmidt* tr. de Imagine DEI. Id vero *Poireto* peculiare eſt, quod urget magno æſtu lib. III. c. VII. §. 16. Conf. & lib. V. 2. adde: ibi Antecedentia & conſequentia.

Reſpondetur ad præcipuum Poireti argum.

§. CXLIV. *Certe* inquit, DEus aut otioſus eſt, ubi præſens eſt, aut operatur ibidem, & ſi operatur, certe convenienter naturæ & capacitati rerum operatur, ſi itaque in anima eſt præſens, quod dicimus, & agit modo Animæ convenienti, anima vero capax eſt intelligentiæ aptaque nata quæ DEUM cognoſcat & amet, & cum ipſo commercium habeat, quæque divina lumina & impreſſiones accipiat, quid obſtat, quo minus DEus, quem in Anima eſſe negare non poſſunt, ibidem naturæ ejus & facultatibus convenienter agat.

Reſp

Resp. 1. ex modo divino operandi convenienter naturis creaturarum immediata illa operatio & illuminatio in æternum non deduci poterit: nam quid tum, si in Anima intellectus sit passivus ex parte recipiendi aliquod objectum, num necessario ipsa divina substantia objectum illud erit? nam ipsum DEUM substantialiter animæ præsentem esse & operari in Anima, & animæ naturæ convenienter, non negatur, sed ex eo non sequitur, DEUM esse immediatum objectum Animæ cognoscentis, volentis. Hoc primum certe demonstrandum erat, non dari veram & certam cognitionem DEI & fruitionem, nisi immediate sit objectum, & quoad substantiam suam immediate se percipiendum præbeat. Nondum solidis argumentis modus cognoscendi DEUM abstractivus & per species intelligibiles, nec dependens ab illa immediata perceptione sede sua deturbatus est. Author in fundo suæ demonstrationis nihil aliud ulterius urgere potest, quam DEI realem operosam præsentiam, inhabitationem, necessariam DEI illuminationem. Ast id nullo mathematico nervo extorquebit: immediatum propterea objectum animæ cogitantis esse, quam immediate illuminet. Suppetunt aliæ causæ præsentiæ operosæ, tum ratione *regni Naturæ*, ut anima in esse suo & operari non deficiat, cum sine divino concursu & influxu, neque durare, neque operari, intelligere ratiocininari, velle &c. queat, nisi dependenter ab influxu DEI & concursu *generali* ad intelligendum, volendum, quod pridem Theologi cum Scholasticis demonstrarunt ex Scriptura sacra.

Nam

Nam utique *in DEO, vivimus movemur & sumus Act.* XVII. 28. in DEO non tantum nobis præsente intime sed ita operante, ut ex ipso nostra vita & motus sit: neque argumenta adversus scholasticos alibi retundenda, tanti momenti sunt, ut a recepta doctrina discedamus: tum *ratione regni gratiæ*, ut excitet nempe motus sanctos in anima, eam vita spirituali imbuat: ubi vero modus operandi in anima jam non nostro modulo metiendus erit, sed juxta DEI revelationem, in cujus unius arbitrio gratia illa posita est. Juxta revelationem autem divinam in Scripturis sacris nobis factam docemur, DEUM se per verbum illud suum salutariter cognoscendum nobis præbere ac fruendum: operabitur itaque in anima nostra gratiose, & in animam nostram juxta exigentiam & indolem illius verbi sui divini, potentis, per illud illuminando, obsignando confirmando, adeoque se mediate cognoscendum præbendo & fruendum, ut *Objectum* quidem Animæ cogitantis sit DEUS, verum non immediatum & in sua substantia, sed in Verbo DEI revelatum & propositum. Vbi jam credentes verbo non committunt idololatriam, non enim in litera aut sono ceu creatura hærent, sed nituntur Authoritate dicentis DEI se insinuante, per ipsum isthoc verbum quod DEI operatione per illud, accipiunt tanquam verbum DEI, ut acute deduxit ac prolixè *B. Musæus* in Introd. & Conver. conf. B. *Dorsch: Theol. Zach*, sed nec Atheismus metuendus, nam signa illa verba & literæ non sunt vacua & mera signa sine re quam signant & notificant; sed signant & notificant, verum DEUM &c.

essen-

essentia & personis, Patrem Filium & S. sanctum, quem licet non viderimus in substantia sua, tamen revera cognoscimus, in *verbo, in fide*, ut Scriptura loquitur.

§. CXLV. Nimirum *Principium*, DEUM rerumque divinarum cognoscendi non est lumen aliquod immediatum internum, sed revelatio divina S. sacris contenta. Vnde etiam de reliquis capitibus errorum *Poireti* judicandum, de quibus breviter addemus quædam, cum præcipuum momentum in eo situm sit, quod hactenus jam prolixius tractavimus. Juxta hanc Scripturam sacram profundum est *mysterium S.S. Trinitatis*, in se & sua natura rationi obscurum & impervium. *Nemo enim novit Filium, nisi Pater, nemo Patrem, nisi Filius & cuicunque vult Filius revelare. Matth.* XI. 27. *Author* non ex revelatione Filii DEI, in verbo Nobis consignata vult Patrem & Filium nosse, sed demonstrative & irrefragabiliter ex ratione. Si dicas: nèquidem illam in verbo revelationem hic intelligi, sed istam quæ est ex lumine interno substantiali, Filio, Dei; conjungemus alterum locum *Joh.* VI. 68. ubi Petrus derivat hanc cognitionem Filii Dei ex verbis & prædicatione externa Christi, quando ait: *Domine habes verba vitæ æternæ*, & statim adjicit: *& nos credidimus & cognovimus, quod tu es Christus Filius DEI vivi.* Ubi sane ivi connexionis, nisi illud nǫ̀ nimis frigidum hic judicare velis contra Spiritus S. Authoritatem, necessario hic erit nexus: Domine tu habes verba vitæ æternæ, & Nos audientes illa, credidimus & cognovimus, quod Tu sis Christus Filius Dei: nam in illis verbis vitæ æternæ, hoc nos docuisti, quod sis

De Mysterio Trinitatis

Filius DEI vivi, & quod in hac cognitione vita æterna sit posita, uti explicat Ioh. XVII. 3. Non igitur a Te abibimus sed vitam æternam quæremus, & sectabimur in vera DEI cognitione, a Te Nobis sermone & informatione tua ostensa, & cordibus nostris impressa: docebat enim ὡς ἐξουσίαν ἔχων *Matth*: VII. 29. Hinc patet: qui sit sensus Math. XVI. 16. 17. Cum Petrus Christum Filium DEI vivi confessus est, & Salvator reposuit: *non caro & sangvis revelavit Tibi, sed Pater meus, qui est in Cœlis.* Nimirum ita Pater revelaverat Petro, *Filius* è sinu Patris istam Veritatem manifestaverat, concione & Doctrina Discipulis proposita & in animum insita: *quæcunque autem Filius facit, ea non ex seipso facit Joh.* V, 19. 30. *& quæcunque Pater facit, hæc & Filius.* Atque sic & Pater revelavit, & Filius manifestando immediate, tunc Apostolis suis, nunc mediate per Scripturas Apostolorum. Hæc tamen & similia dicta *Poiretus* & qui cum ipso sentiunt, ad internam immediatam aliquam revelationem referunt.

De Filio DEI & ejus generatione.

§. CXLVI Scriptura docet Filium DEI unigenitum *Joh.* I. 14. *genitum a Patre ab æterno* Ps. II. 7. *Ebr.* I. 5. Author juxta ea, quæ supra ex ipso notavimus, non unigenitum sed primogenitum tantum inter plures filios vere sic dictos & ex natura, essentia divina

(1.) extractos & genitos: nec aliter genitum statuit,

(2) quam ex desiderio & voluntate Patris, sicut Scholastici olim ex intellectu Patris, qui actus tamen essentiales sint, & uni personæ æque atque alteri essentialiter competunt; ut adeo Filius seipsum generasse dicendus sit. Sane enim & Filius desiderat, vult summum Bonum perinde atque pater, quod cum non inveniat

extra

extra ſe, neceſſe eſt omnes virtutes divinas ad hoc Centrum ad ſummum bonum î. ê. divinam eſſentiam |propellere,| & ſic ſeipſum generare, ad illas nugas & blasphemias delabuntur Poiretianæ demonſtrationes Mathematicæ. (3.) Quó etiam illud pertinet, quod deſiderium in Patre concipit absque intellectus directione, ceu tenebroſum, cum nullus motus aut actus voluntatis in DEO concipi poſſit vel debeat, niſi ſapientiſſimus prudentiſſimus, plenus luce infinita: vanum ſanum & inutile eſt abſtractiones fingere, quæ naturæ divinæ adverſantur, nec quicquam amplius prodeſſe poſſunt, quam ad hypotheticam aliquam ſpeculationem: Si DEUS eſſet mere deſiderans volens, extra tamen reflexionem ad ſe ipſum ut lumen manifeſtans illud, quod vult, deſiderat, eſſent tenebræ, miſeriæ in divinitate, ac proinde lumen ſapientiæ verbum aliquod manifeſtans, concipiendum neceſſario erit in DEO. Num enim illud propterea ſtatim Filius erit Filius unigenitus, diſtinctus a Patre realiter & Spiritu S. Et: num illud deſiderium, & conatus ac vis divinæ voluntatis in S. B. & Beatitudinem infinitam tendens aliquod in ſe producit? abſit: adquieſcit ſane DEUS in ſe ut exiſtente ſummo Bono ſubſtantiali, nulla interveniente originis ratione vel ulla productione. (4.) Tendentia illa in DEO ad ſummum Bonum & Beatitudinis fruitionem, quid aliud eſt, quam reflexio, noſtro concipiendi modo, DEI in ſeipſum? ille actus reflexionis num eſt generativus, num productivus Filii, in divinitate? qua ſpecie, quo fundamento dici poteſt? quod ſi conceptibus noſtris quævis vocabula, aliam prorſus rem uſu deſignantia imponi poſſunt, actum (5) (6)

est de Veritate, nec sensus certus aut communicatio conceptuum locum habebit. Dicas: quid ergo de Generatione Filii DEI dicendum erit, si non determinato aliquo conceptu, ut ratio concipere potest, sistatur? Respondeo: refragatur naturæ mysteriis, ut determinatus conceptus in convenientia cum ratione ponatur, perceptio fundata est in Authoritate dicentis DEI, ubi sufficit, sub voce seu signo rem vel sensum vocis concipere, juxta normam quidem vocis, sed in perfecto suo & eminenti DEIque Majestati & perfectioni congruo statu, ut non tam *positive* dicatur quid sit, quam *negative*, quid non sit, abstrahendo omnem imperfectionem. Sic res manet in conditione sua mysteriosa, ratio in suis terminis continetur, vis verborum Spiritûs S. è communi usu desumtorum subsistit, nec mens adeo sibi aut speculationibus suis fidit, neque tamen etiam veluti cœca aut ebria in διαφορας destinationem ruit, & per illam in decretum pervicax, sic, insuper habito hoc *verbo DEI* ejusque sensu, credituram recepturamve, quicquid DEO placuerit, quod sane nihil aliud est, quam stultissimo Enthusiasmo animum resignare, verbo DEI contempto.

De Incarnatione Filii DEI.

§. CXLVII. Scriptura docet: Ilum Filium DEI, unigenitum, tum, *cum plenitudo temporis venit*, ex *muliere factum Gal.* IV. 4. *carnem factum. Joh* I. 14. & *in carne adeo manifestatum, ita ut Spiritus Sanct. super virginem Mariam venerit, & virtus altissimi, ipsam obumbrarit, atque Sanctum ex ipso nasceretur Filius DEI* Luc. I. 35. Contra istam claram literam fingit Autor: DEUM

DEUM jam in ſtatu integritatis hominem factum, habentem corpus glorioſum, & hunc eſſe JEſum Chriſtum, qui deinceps in Maria infans factus ſit, & ita è majori ſtatura in minorem ſe naturalibus viis exinaniverit. Scriptura deſcribit *Hominem*, ut meram creaturam, quoad *animam* & corpus, Author hominem, quoad animam vere DEUM & Filium DEI facit, ejusdem naturæ & eſſentiæ cum DEO, tantum exiſtentiæ & Individualitatis ratione diſtinctum. De Imagine Dei docet: eam principaliter conſtitiſſe in imagine accidentali, juſtitia originali cognitione Dei, juſtitia & ſanctitate habituali *Eph.* IV. 24. *Col.* III. 8. &c. Author ex adverſo; in Imagine Dei ſubſtantiali ejusque inhabitatione in homine, in Imagine Dei ut Triunius Patris, Filii & Spiritus S. ita, ut ſicut ab æterno Filius Dei in divinitate generatus à Patre, ita idem Filius Dei naſcatur in homine. Juxta Scripturam imago illa Dei accidentalis pertinuit ad perfectionem hominis eique fuit naturalis ſubjectiva; juxta Authorem ipſa S.S. Trinitas ceu ſubſtantialis imago pertinet ad perfectionem hominis; licet non *ſubjectivè* ut loquitur, attamen *objectivè*, id eſt non ita, ut non conſtituat ipſam naturam hominis, ita tamen ut ad ejus perfectionem ſpectet; atque ita revera concipit Naturam humanam originaliter ut imperfectum quid, miſeram tenebroſam anhelantem, deſiderantem; *Gratiaque Demum* perficiendam i. e. imagine Dei ſubſtantiali, quam ad gratiam refert. Atqui in opere creationis dicitur; quod Deus creaverit omnia bona, valde bona. Quod per creationem, bonum conditum eſt, id non demumper ſuperficientem gratiam *objectivam*

De homine.

De Imagine DEI

(1.)

(2.)

(4.) *Etiam* sit bonum. Juxta Scripturam est omnis cognitio ex lum: Nat. & sapientia ex Imagine Dei, utpote qua consistebat quoad mentem, in sapientia & cognitione habituali, præsertim Dei, Author vero omnem sapientiam derivat ex inhabitatione Trinitatis: illa ponit hominem creatum in statu viæ: Hic statim in vita æterna quæ est intuitiva DEI cognitio, licet gradu differat ab illa futura.

De lapsu, & ejus consequentibus

§. CXLVIII. Juxta Scripturam, per lapsum Imago DEI naturalis amissa fuit, viresque hominis corruptæ, vel ut cum Libris Symbolicis loquar: *profunda humanæ naturæ* corruptio secuta, quæ *nihil sani, nihil incorrupti* in anima hominis in *interioribus & exterioribus viribus reliquit: Tenebræ sumus, obtenebratum habentes intellectum, omne figmentum cordis humani tantum malum est à pueritia, sumus Filii iræ* &c. *Eph.* II, 4. (.s.) *Genes.* VI, VIII. *non intelligit homo Spiritualia nec accipit, stultitiæ ipsi sunt* 1. *Cor.* II. ult. Juxta Authorem nihil perfectionis naturalis amisit, sed tantum id quod *Gratiæ* fuit *objectivæ*, unde jam natura per se mansit, qualis fuit, tenebrosa misera anhelans, imo in infernum quasi præcipitata, unde etiam ait Author. *Animam per creationis suæ constitutionem æternæ Mortis fundamentum in se habere. Oec.* I. p. 198. Juxta Scripturam, homo per lapsum pœnis æternis obnoxius factus est ex fundamento Justitiæ & veracitatis DEI: quæ adparet ex illo: quo die comederis defructu vetito *morte morieris*, quod explicavit lex per universam Scripturam, ast juxta Autorem nulla est justitia DEI vindicativa puniens, sed justitia tantum postulans, ut id alicui eveniat, quod Ipse elegit,

De Pœnis.

hoc

hoc DEUM juſte permittere, hanc primam & fundamentalem regulam eſſe juſtitiæ.

§. CXLIX. Scriptura Sacra docet: *DEUM eſſe Zelotem Exod.* XXII, 6. *Deuter.* V, 9. 10. eſſe *Vindicem ſeu ultorem* I. *Theſſ.* IV, 9. *apud quem juſtum eſt, reddere afflictionem affligentibus* II. *Theſ.* I, 6. ita, *ut non poſſit videre malum Hab.* I, 13. indicat *Iram* DEI adverſus omnem impietatem *Rom.* I, 18. *odium adverſus peccata & ejus abominationem Zach.* VIII, 17. *Jeſ.* V, 5. 6. 7. *Maledictionem & pœnas* indicat peccatoribus *Gen.* II, 17. Repetitio facta *Deut.* XXVII, 26. *Ezech.* XVIII, 20. *Rom.* VI, 13. *Gal.* III, 10. &c. Has pœnas commeritas Chriſtum *in ſe ſuſcepiſſe, confoſſum ob noſtras prævaricationes, contuſum ob iniquitates noſtras Eſ.* LIII. *Ipſum eſſe agnum DEI tollentem peccata Mundi. Job.* I, 29. *peccata noſtra ſuſtuliſſe in corpore ſuper lignum.* 1. *Petr.* II, 24. pro nobis mortuum eſſe, *animam* ſuam dediſſe ἀντὶ πολλῶν, non tantum in utilitatem, ſed *vice loco*, plurium. *Matth.* XX, 28. hinc dicitur 1. *Tim.* II, 6. ἀντίλυτρον ſeu λύτρον pro alio ſolutum; Vnde nos *pretio empti* 1. *Cor.* VI, 10. nempe *non argento & auro, ſed pretioſo ſanguine velut agni immaculati & contaminati.* 1. *Petr.* I, 19. Vt *DEO reconciliaremur Rom.* V, 10. *Col.* I, 20. *Pace per Sanguinem crucis facta.* Sic δικαιοκρισία juſtum DEI judicium, quod reddit unicuique ſecundum opera, *Rom.* II, 5. δικαίωμα legis impletum eſt. Hæc luculenta Spirit. Sancti teſtimonia hactenus Theologi cum Eccleſia una ſignificante voce Satisfactionis pronunciarunt, nihil aliud intelligentes, quam id quod his dictis juxta naturalem ſenſum acceptum comprehenditur. At *Poiret* hanc,

De Meritis & ſatisfactione Chriſti.

hanc *satisfactionem* cum illa justitia DEI judiciaria, seu vindicativa per summam blasphemiam vocat *figmentum Scholasticorum*, *crudelitatem* DEO affictam, & substituit ejus loco deprecationem à Filio DEI dignissima persona factam, cui Pater non potuerit denegare gratiam pro hominibus, quæ non est remissio peccatorum vi meriti & satisfactionis illius. Sed de novo operatio & insinuatio Imaginis illius substantialis, intuitu dignitatis hujus personæ Filii DEI.

De Fide & Justificatione.

§. CL. Inde patet: quod totum fundamentum salutis subruat: si enim nulla est satisfactio Christi, nullum meritum sensu Ecclesiæ, ut hactenus docuit; nulla quoque fides vera erit in Christum, nulla justificatio: sed umbræ, spectra, meræ imaginationes: quo enim referet *Poiretus* ista omnia anteced. §. allegata, & quid erit *fides & justificatio* in loco classico descripta *Rom.* III, 24. 25. 26. ubi Fides justifica & salvifica dicitur, *Fides in sangvine JEsu Christi*: Et quidem *ad ostensionem justitiæ suæ:* quænam illa justitia Christi, quæ in Fide in sangvine JEsu Christi manifestatur, nonne illa ipsa vindicativa? quid *justificatio* ibi per *redemptionem* in Christo JEsu antea descriptam? & quid ἱλαστήριον per fidem in sangvine ipsius: nonne mera vocabula vacua, signa sine re, si demas meritum & satisfactionem JEsu Christi, quomodo & justificatio mera vox erit rationis & ad ejus figmenta detorta.

Via Poiretiana haud tuta sed maxi-

§. CLII. Hæc ceu specimen in præcipuis doctrinæ fundamentis facilè indicant, quid de reliquo demonstrationis Poiretianæ contextu sit censendum, & quod Via ejus

ejus & Amicorum ſit non modo non tuta ſed periculoſiſſima. Nam. (1) in cauſa ſalutis humanæ æterna, quæ ſumma & præcipua eſt in orbe, pollicetur irrefragabilem certitudinem, quam tamen non niſi rationis diſcurſu ſub immediati luminis larva quærit, atque ita cauſam capitalem humani generis ignibus erraticis committit. Vid. ſupra §. 69. pag. 101. (2.) Supremi Numinis exiſtentiam è filamento *eſſe objectivi* ſuſpendit ex una parte, quod *Atheismum* introducit: ex altera parte è monſtroſa perceptione experimentali, quæ hominem in DEum mutat vel cum DEo miſcet & confundit, DEUM in corpus deprimit. vid. pag. 103. §. 70. p. 118. §. 80. (3.) Hominem Viatorem in hac vita, ut comprehenſorem vitæ æternæ ſiſtit, cœlum in terra ſine DEo fingit, id eſt, intuitivam viſionem DEI in hac vita. vid. §. 119. pag. 168. (4.) Scripturam Sacram non niſi fidem mortuam dare poſſe qualis diabolorum & magorum pag. 135. quod blaſphemia eſt contra verbum DEI. (5.) Summum Trinitatis myſterium in rationis ſpectrum detorquet, & gloriam Filii DEI unigeniti Spiritibus tribuit §. 99. pag. 140. ſeqq. DEUM inſuper ſine *juſtitia* vindicativa, quam crudelitatem vocat, ſine Zelo & ira ſuper malo concipit, quæ non poſſunt blaſphemiæ notam effugere. (6.) Statum *Inſtitutionis*, ubi de Imagine DEI, *Deſtitutionis*, ubi de Peccato, *Reſtitutionis* ubi de Chriſti merito & ſatisfactione agitur penitus pervertit, & in conceptus arbitrarios detorquet, ut *ſupra*, quod iterum eſt fundamenta genuina ſalutis convellere. (7.) Naturale Deſiderium Summi Boni, connatam capacitatem, reſignationem

me periculoſa.

(1.)

(2.)

(3.)

(4.)

(5.)

(6.)

(7.)

naturalem DEO factam causas facit ex parte hominis & media salutis, naturalia pag. 143. 152. §. 109. seqq. Quod quid aliud est quam Pelagianismus, quem sub nomine hæreseos Pelagianæ per summam hypocrisin perfet. (8.) Fidem fingit sine Christo ejusque merito vero, & satisfactione, ut supra; & sic fontem salutis destruit. Arcem solatii nostri oppugnat, & fundamentum satisfactione Christi nixum, ut supra, & loco ejus substituit justificationem, in (9.) *purificatione* exquisitissima, sed ficta ante & post mortem. *Oecon.* V. 5. ne dicam de iis quæ de Novissimis & antecedente defectione *Christianismi* & excisione impiorum periculose disserit in Oecon: ut & de aliis sanæ doctrinæ fundamentis, quæ ad nostrum præsentem (10.) scopum non pertinent. (10.) Totam compagem hypothesi *physicæ* incertæ dubiæ inædificat, ut & *morali*, ab hominibus Fanaticis, qui à flore humani generis rejecti sunt, adoptatæ, prudentiæ divinæ, & sapientiæ divinæ adversæ, fallaci, hypocriticæ, Scripturæ contrariæ, ut in proxime antecedd. ostensum. Hæc via, si tuta fuerit, nihil amplius in orbe intutum fue(11.) erit. Accedit experientia, qua constat, quantos motus excitaverit Spiritus Fanaticus & Quackericus in Anglia, Belgio & Germania. Nec mirum, cum per istum spiritum homo sit amotus ab omni sustentamento firmo veritatis, suæque dispositioni naturali, speculationibus, moribus disciplinæ, temperamento, affectibus cœlique temperiei relictus sit, tantum sub nomine glorioso Luminis divini, verbi, filii DEI, luminis substantialis. At quanto tutius est, hominem Ver-

bo

bo DEI in ſenſu ſuo nativo inhærere, nixum non Creatura, ſed Authoritate divina verbo DEI ſe prodente, teſtante & convincente? ita nempe, ut principaliter ille Mundi ſalvator I. C. in ipſo quæratur cum merito ſuo & ſatisfactione, in quo fide acquieſcamus & bonæ conſcientiæ atque adeò pietati ſtudeamus, reliqua autem DEO committamus. Deſtinaveram brevitatem, ſed ſub labore crevit opus.

Admonitio ad ſtudioſam Juventutem.

§. CLIII. Nunc Juventutem ſtudioſam per vulnera Jeſu Chriſti adhortor, ut caute & prudenter ambulet in via ſtudiorum & peregrinationis ſuæ, nec avidè arripiat, quae ut nova ſuppeditantur, ſed ſimul ſemen ſunt fructuum â quibus ſe nunquam liberare poteſt, fructuum inquam mortis. *Poiretus* in philoſophicis generaliore & abſtracta docendi ratione ſubinde callide proponit, quæ deinceps in Oeconomia determinatiore & ſpecialiore expreſſione ſe produnt, ubi difficulter receptus datur, poſtquam ſemel ſub generali notione & innocenti, uti videbatur, ad cor admiſſum eſt virus, quod implicite ibi continebatur. Plerique nonnullas excerpunt hypotheſes, quæ videntur ipſis probabiles, nec de toto contextu interiore cogitant, cum ad præſentes duntaxat uſus improvide accipiant, quod tamen in futurum detrimentum ſe extendit. Sinceri Noſtrates Doctores, aurum â ſcoriis ſeparare norunt, nec ad caliginem Scholaſticorum remittere cupiunt, quæ tamen bene & juxta Scripturam docuere, non rejicientes. Prudentiâ dirigendæ ſunt actiones noſtræ & ſtudia, non cœco affectu. Scholaſtici nomen odioſum

factum eſt, quia quidvis portenti ſubito ſuſpicatur vulgus. Conqueſti ſunt pridem Viri, ſolidæ eruditionis exquiſitiſſimi judices de irruptione Scholaſticæ Theologiæ in caſtra Domini, ubi multa generoſius & ad uſum accommodatius tractari poterant, quam ingenio & more illorum â nonnullis factum erat, ſed num medela malo adhibetur, attrahendo graviorem morbum, myſticam aliquam & caliginoſam Theologiam? Medium tenuere beati, qui præcipuè ad divinos Scripturæ fontes deducunt alumnos diſciplinæ ſuæ, & cum pio moderamine adhibent innocua adminicula, quæque minimum commodi & æquivocationis atque ambagum habent. Cæterum ad Fidem illam, veram ſinceram in merito Chriſti nixam, plantandam & confirmandam reſpiciunt, pietatem ceu neceſſarium fructum inde progreſſum commendantes & concordiam ubique ſervantes, unum loquentes & ſentientes juxta typum ſanorum verborum, diſſenſum tamen etiam in intricatis & non neceſſariis per Charitatem tolerantes. Faxit Deus, ut veritatem ſectemur in charitate, & adoleſcamus in eum per omnia, qui eſt caput, Jeſus Chriſtus.

F I N I S.

factum eſt, quia quidvis portenti ſubito ſuſpicatur vulgus. Conqueſti ſunt pridem Viri, ſolidæ eruditionis exquiſitiſſimi judices de irruptione Scholaſticæ Theologiæ in caſtra Domini, ubi multa generoſius & ad uſum accommodatius tractari poterant, quam ingenio & more illorum â nonnullis factum erat, ſed num medela malo adhibetur, attrahendo graviorem morbum, myſticam aliquam & caliginoſam Theologiam? Medium tenuere beati, qui præcipuè ad divinos Scripturæ fontes deducunt alumnos diſciplinæ ſuæ, & cum pio moderamine adhibent innocua adminicula, quæque minimum commodi & æquivocationis atque ambagum habent. Cæterum ad Fidem illam, veram ſinceram in merito Chriſti nixam, plantandam & confirmandam reſpiciunt, pietatem ceu neceſſarium fructum inde progreſſum commendantes & concordiam ubique ſervantes, unum loquentes & ſentientes juxta typum ſanorum verborum, diſſenſum tamen etiam in intricatis & non neceſſariis per Charitatem tolerantes. Faxit Deus, ut veritatem ſectemur in charitate, & adoleſcamus in eum per omnia, qui eſt caput, Jeſus Chriſtus.

FINIS.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Foertsch, Michael,

Selectorum theologicorum breviarium, id est, discussio principalium punctorum theologicorum nostro tempore maxime controversiorum de doctrina sacra, religione

Jena 1708

4 Diss. 2348#Beibd.28
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10834802-4
VD18 14958473-001